

## LIBER TERTIUS

---

# DE PRAECEPTIS DECALOGI

408. — I. Decalogus est legis naturalis summa ac breve compendium, decem praecepta continens et a Deo speciali modo promulgata. Dicitur legis *naturalis* compendium, ita tamen ut *primo* praecepto addatur aliquid positivum, de non faciendo sculptili, atque iterum *tertio* praecepto, circa observationem Sabbati, quoad modum Deum colendi.

Decalogus in tribus primis praeceptis — in praeceptis *primae tabulae* — continet officia nostra erga Deum, in ceteris autem septem praeceptis — in praeceptis *secundae tabulae* — officia nostra erga proximum<sup>1)</sup>. In hoc libro ea officia hominis erga Deum et proximum, una cum officiis hominis erga seipsum, tractamus, quae pertinent ad virtutes *moraes*; officia enim virtutum theologicarum, quae praesupponuntur ad Decalogum et in eo continentur tamquam principia in suis conclusionibus, in superiori libro tractavimus.

Violatio horum mandatorum est ex genere suo peccatum mortale: nisi forte excuset vel defectus deliberationis, vel parvitas materiae in iis, in quibus dari potest. Ratio est, quia adversatur caritati Deo et proximo debitae; caritas autem est vita animae.

<sup>1)</sup> Haec praeceptorum divisio post S. Augustinum traditionalis est in Ecclesia latina. Alter tamen Orientales, Calvinistae et Anglicani. Hi praeceptum de non faciendo sculptili (Ex. xx. 4-6) tamquam praeceptum distinctum habent. Hinc quatuor praecepta in prima tabula ponunt, ita quidem ut nostrum praeceptum primum ipsis sit primum et secundum (Ex. xx. 3. et 4-6), secundum in nostra computatione ipsis sit tertium et sic de ceteris: nonum autem et decimum pro uno habent praecepto. — Ordinem praeceptorum pulchre exponit S. Thomas 1. 2. qu. 100. a. 5.

II. Missis officiis erga Deum quae pertinent ad virtutes theologicas et iis quae ad virtutem poenitentiae pertinent<sup>1)</sup>, hic sub tribus prioribus decalogi praeeceptis agendum est de officiis virtutis religionis.<sup>2)</sup> Et quidem sub primo praeecepto tum de officio Deum colendi in genere, tum etiam de diversis religionis officiis in specie, exceptis iis, de quibus sub secundo et tertio praeecepto specialiter tractatur. Sub secundo autem praeecepto agitur de reverentia Nomini Dei exhibenda per laudem, iuramentum et adiurationem, necnon de voto; sub tertio demum praeecepto de sanctificatione dierum festorum tractatur.

---

<sup>1)</sup> De officiis huius virtutis cfr. *tom. II. n. 261. sequ.*

<sup>2)</sup> De notione virtutis religionis eiusque actibus in genere cfr. *supra n. 294. I.*

# TRACTATUS I.

## DE I PRAECEPTO

S. Alf. lib. 3. H. A. tr. 4.

«Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis  
deos alios coram me.» Ex xx 2. 3.

Agemus: 1º de actibus hoc praecepto impositis; 2º de peccatis huic praecepto oppositis.

### CAPUT I.

#### ACTUS HOC PRAECEPTO IMPOSITI

Principaliter de culto *Deo* exhibendo per actus virtutis religionis agitur; ob connexionem materiae tamen etiam quaedam de veneratione *Sanctorum*, quae est virtutis duliae, includimus. Dicernus primo de cultu divino in genere, dein in specie de oratione.

#### *Articulus I.*

##### Cultus divinus in genere.

409. — **Notio et divisio cultus.** Cultus in genere est testimonium de excellentia alterius et de nostra subiectione, vel cum Damasceno «nota submissionis ob agnitam excellentiam alterius». Cultus sic generaliter sumptus dividitur in *civilem* et *religiosum* seu *sacrum*; *civilis* est qui hominibus exhibetur ob naturalem eorum excellentiam; *religiosus* est qui Deo exhibetur, vel Angelis et Beatis ob supernaturalem eorum excellentiam creatam.

Cultus sacer ratione subiecti cui debetur dividitur in cultum *latriae*, *hyperduliae* et *duliae*. Cultus *latriae* est ille qui Deo debetur propter summam Eius excellentiam et supremum Eius dominium, quatenus est primum principium creationis et gubernationis omnium rerum. Cultus *hyperduliae* debetur B. M. Virgini propter singularem excellentiam, qua omnes angelos et beatos superat. Cultus *duliae* aliis cum Christo in caelo regnantibus debetur. (cfr. can. 1255. § 1.)

Cultus sive *latriae*, sive *hyperduliae* vel *duliae*, aliis est *publicus*, aliis *privatus*. Publicus est, si deferatur nomine Ecclesiae a personis ad hoc depu-

tatis et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos; sin minus, privatus est. Ita ex can. 1256. Hinc v. g. Officium divinum a Clerico in Sacris recitatum, cultus publicus est; preces ab Ecclesia probatae et a laicis totius alicuius parochiae in ecclesia communiter recipitatae, cultus privatus sunt.

Dividitur demum cultus in *absolutum*, quo Deus et Beati in seipsis honorantur, et *relativum*, quo honorantur eorum imagines et reliquiae, non in seipsis sed intuitu personarum ad quas referuntur. (cfr. can. 1255. § 2.)

**Actus quibus Deo debitus cultus exhibetur.** Virtutis religionis est debitum cultum Deo tribuere. Obiectum igitur virtutis religionis est non immediate ipse Deus, sed cultus Deo exhibendus; quapropter virtus moralis est dicenda, non vero virtus theologica. Habet autem religio diversos actus, quibus cultum Deo exhibet. Primo quidem distinguendi sunt actus *elicti* huius virtutis et actus eius *imperati*; actus elicti sunt illi qui intrinsece sunt exhibitio debiti cultus; actus imperati sunt actus aliarum virtutum, a religione imperati et in honorem et cultum Dei ordinati. Actus elicti alii interni sunt, alii externi; et diversificantur secundum diversitatem illorum quae in cultum Dei exhibentur. Sic habetur *devotio* qua ipsam voluntatem, *oratio* qua intellectum Deo subiicimus: *adoratio* qua ipsum corpus ad Deum venerandum exhibemus genuflectendo, prostrando, caput inclinando etc.: *sacrificium*, *oblatio* et *votum*, quibus dando vel promittendo res nostras in Dei cultum exhibemus; denique Deum colimus etiam assumendo quid ad Ipsum pertinens, sive *Sacra menta*, sive Nomen Dei per *iuramentum* et *adiurationem* et per *invocationem* quae fit per orationem et laudem. Religionis quoque officium est sanctificatio dierum festorum.

**Devotio** ut est religionis actus consistit in voluntate quadam actuali prompte sese tradendi ad ea quae pertinent ad Dei famulatum. Devotionis *causae* duae praesertim assignantur, contemplatio divinae bonitatis et consideratio indigentiae propriae. *Effectus* devotionis est duplex: primus est spiritualis laetitia, ex consideratione divinae bonitatis, alter salutaris tristitia, ex consideratione propriae miseriae. Cfr. 2. 2. qu. 82.

Devotio est actus primarius virtutis religionis et veluti fons, ex quo emanat quidquid in aliis est fidelitatis et reverentiae et famulatus Dei, quia reddit hominem *promptum* ad omnes actus bonos, quatenus in Dei servitium cedunt. Cfr. Salm. *Arb. praed.* n. 62.

**Adoratio** sumitur: 1º pro quacumque veneratione quae alteri tribuitur ob excellentiam eius et nostram erga eum subiectionem, sive ille sit Deus, sive Angelus, sive homo; 2º in specie pro ea veneratione qua Deum colimus exhibendo *Ipsi latriae* cultum. Et quidem illis praesertim actibus Deum adorare dicimus, quibus magis signate et formaliter ipsam nostram submissionem Deo tamquam Summo omnium Domino profitemur; sunt sacrificia-

cium et illi actus, quibus per ipsam corporis humiliationem nostram submissionem Deo protestamur. Ultimi illi actus, quorum sunt genuflectere, caput inclinare etc., adorationem strictissimo sensu constituunt.

De ceteris religionis actibus alibi est dicendum.

**Cultus liturgicus**<sup>1)</sup>. Praecipuus cultus qui Deo hic in terra offerri potest est autem cultus liturgicus, qui generatim definitur: *cultus publicus Ecclesiae*. Magis extense eum describit Pius XII in Encycl. *Mediator Dei* (20 Nov. 1947): « Sacra igitur Liturgia cultum publicum constituit, quem Redemptor noster, Ecclesiae Caput, caelesti Patri habet; quemque christifidelium societas Conditori suo et per Ipsum aeterno Patri tribuit; utque omnia breviter perstringamus, integrum constituit publicum cultum mystici Jesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque eius ». <sup>2)</sup> Est igitur cultus qui incoepitus a Christo Sacerdote inde a primo instante suae Incarnationis, perfectus in cruento crucis sacrificio, hic in terra ab Ipsa continuatur per Ecclesiam, suum Corpus mysticum, ita ut « in omni actione liturgica una cum Ecclesia praesens adsit divinus eius Conditor ». <sup>3)</sup> Procedit autem cultus formaliter ab Ecclesia, fit socialis, si ipsius nomine perficitur, a personis ad hoc deputatis, et quidem per ritum ab ipsa institutum vel receptum. (can. 1256). Atqui deputantur praeter sacri ministri etiam omnes fideles, in quantum per baptismum incorporati sunt ut membra in Corpus Christi atque characteribus sacramentalibus insigniti;<sup>4)</sup> accedere potest specialis deputatio a parte Ecclesiae v. g. religiosis facta qui Officium divinum recitent ex pracepto canonico. (can. 610)

Complectitur cultus liturgicus primario loco Sacrificium eucharisticum, in quo principaliter cultus Deo defertur; deinde confectio et administratio Sacramentorum (ad quae adnumerari debent Sacramentalia); postremo laudis praecönium quod Deo cotidie offertur. <sup>5)</sup> Quae omnia ordinate comprehenduntur in mirabili illo cursu anni liturgici, quo mysteria Christi in diversis festis praesentia continenter adsunt atque operantur, scilicet ut exempla christiana perfectionis et divinae gratiae fontes. <sup>6)</sup> Diverso modo tamen isti ritus ad cultum divinum pertinent. Quidam enim *directe* et *explicite* actione aut verbo exprimunt obsequium excellentiae Dei (ita v. g. sacrificium ut latreuticum vel propitiatorium, laudes, gratiarum actiones); alii *indirecte* tantum et *implicite* Deum colunt, in quantum formaliter magis tendentes ad sanctificationem hominum Eius excellentiam tamen suppo-

<sup>1)</sup> Cfr. Ph. Oppenheim. *Institutiones systematico-historicae in sacram liturgiam. Tom. VI Notiones Liturgiae fundamentales*. Taurini 1941. M. Righetti. *Storia liturgica. Tom. I*. Milano 1945. p. 1-15. C. Callewaert. *Liturgiae Institutiones<sup>3</sup>*. Tom. I Brugis 1933. p. 1-55.

<sup>2)</sup> A. A. S. 1947. p. 528.

<sup>3)</sup> Encycl. *Mediator Dei*. A. A. S. 1947. p. 526-529. Cfr. S. Aug. *Enarr. in Ps. 85* (PL. 37. col. 1081).

<sup>4)</sup> S. Thom. 3. qu. 63. Cfr. Tom. II n. 42 II. Oppenheim o. c. p. 186 sqq.

<sup>5)</sup> Encycl. *Mediator Dei* l. c. p. 580.

<sup>6)</sup> Encycl. *Mediator Dei* l. c. p. 580.

nendo exprimunt et agnoscunt (ita v. g. sacramenta et plura sacramentalia, quae primarie sunt actiones salutiferae; orationes supplicatoriae).<sup>1)</sup>

Ritus liturgici, uti describuntur in libris ritualibus Ecclesiae (cfr. *Tom. II n. 18*) duas partes continent: partem *divinam*, omnia nempe quae a Christo Domino ut essentiam Sacrificii eucharistici et sacramentorum constituta sunt; *humanam*, ea omnia, actiones et verba, quae ab Ecclesia huic parti substantiali decursu saeculorum fuerunt adiecta.

Ut autem cultus liturgicus digne Deo offeratur duo omnino requiruntur elementa. Primo *elementum externum* i. e. externa et sensibus perceptibilis perfectio actionum et pronuntiatio verborum; est enim cultus socialis et uti talis signo externo compleatur necesse est. Hoc elementum externum, dummodo accedat saltem intentio agentis suum actum ordinandi ad cultum liturgicum, iam ex seipso aliquem effectum sortitur sc. ut actus cultus societatis cuius agens est membrum vel minister, idque sive ex opere operato sive ex opere operantis Ecclesiae, independenter a dispositione interna subiecti. (cfr. *Tom. I. n. 1128*; *II n. 7-8.*) Secundo *elementum internum* i. e. pia elevatio mentis ad Deum atque devotio una cum sincera tendentia perfectionis christiana acquirendae, quae sunt necessariae ad hoc ut sit actus cultus virtuosus a parte hominis individui eique ratione dispositionis plene proficuus; absque hoc enim elemento «religio procul dubio inanis ritus ac vacua formae ratio evadit»<sup>2)</sup> secundum verbum Jesu Christi allegantis Isaiam prophetam: «Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me». <sup>3)</sup>

**410. — Principia. I.** *Deo debetur cultus latriae tam externus quam internus, tam publicus quam privatus.* Est praeceptum ipsius legis naturalis. Ratio enim naturalis dictat specialem honorem et specialem servitutis et obsequii protestationem illi deberi, in quo specialis ratio excellentiae et dominii est agnoscenda; in Deo autem summa est excellentia, in quantum omnia in infinitum transcendent secundum omnimodum excessum, et supremum Ei competit dominium, quatenus est creator et gubernator omnium rerum. Qui quidem cultus etiam externus sit oportet, quia homo, utpote ex anima et corpore consistens, secundum utrumque Deum glorificare tenetur; tum etiam cultus externus requiritur ratione ipsius internae devotionis, quia connaturale est homini signis externis uti ad internum mentis affectum protestandum et augendum. Publicus seu socialis etiam requiritur cultus,

<sup>1)</sup> «Ad cultum autem Del pertinet aliquid dupliciter: uno modo cum aliquid Deo offertur, vel sacrificium vel oblatio vel aliquid huiusmodi; alio modo cum aliquid divinum assumitur». Ita S. Thom. 2. 2. *qu. 95. a. 2; qu. 81 a. 3 ad 2; etiam 3. qu. 60 a. 5; qu. 63 a. 2; qu. 65 a. 1.* — Hanssens. *La définition de la Liturgie in Gregorianum.* 1927 p. 204-228. Idem in *Eph. Liturg.* 1924 p. 74-93; 106-119. Idem in *Period. 1947 p. 65-68.*

<sup>2)</sup> Encycl. *Mediator Dei l. c. p. 531 sqq.*

<sup>3)</sup> Marc. 7, 6. Is. 29, 13. Cfr. etiam *Tom. I n. 524-526.*

quia Deus est etiam societatis conditor et supremus Dominus. — Est etiam praeceptum iuris divini positivi, uti constat ex verbis Christi apud Matth. IV. 10: « Dominum Deum tuum adorabis et Illi soli servies ».

Porro cultus latriae debetur Sanctissimae Trinitati, singulis eiusdem Personis, Christo Domino, etiam sub speciebus sacramentalibus. (Cfr. can. 1255. § 1.)

**II. Deo debetur praesertim cultus liturgicus.** Elevati enim ad ordinem supernaturalem et incorporati in societatem spiritualem Ecclesiam, Christi Corpus mysticum, omnes baptizati et imprimis ipsa Ecclesia speciali obligatione tenentur qua tales Deo debitum reddere honorem ut auctori ordinis et vitae supernaturalis. (Cfr. Tom. I n. 13. III.) Secundum voluntatem autem et institutionem Dei illud digne tantummodo fit, si una cum Christo cui coniungimur, Mediatore nostro et Capite Corporis Eius, « per Ipsum et cum Ipso et in Ipso » Deo Patri in unitate Spiritus Sancti tribuamus omnem honorem et gloriam.

**III. Bonum atque utile est Dei Servos, una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque reliquias atque imagines venerari.** Ita can. 1276; et constat ex Trid. sess. 25. Prae ceteris Beatissimam Virginem Mariam fideles universi filiali devotione prosequantur. (can. 1276.) Beatae Mariae Virgini cultus hyperduliae, aliis Sanctis duliae cultus debetur; sacris reliquiis atque imaginibus veneratio et cultus debetur relativus personae ad quam reliquiae imaginesque referuntur. (can. 1255).

#### 411. - Regulae. I. Circa cultum liturgicum.

1º Cultus liturgicus est cultus publicus Ecclesiae qua societatis; proinde:

a) Obligatio illum exsequendi primarie tenet ipsam societatem, secundarie tantum personas individuales, inquantum nempe istis speciale imponitur praeceptum vel ritus conficiendi uti ministris ad hoc deputatis (v. g. celebratio Missae pro populo, horae canonicae, confectio et administratio sacramentorum in determinatis circumstantiis) vel iis participandi et assistendi uti fidelibus. (v. g. auditio Missae die Dominicana, Communio Paschalis.)

b) Nemini privatorum, etsi ex cleri ordine sint, fas est aliquid ex ritibus, in libris liturgicis et decisionibus S. Congr. Rituum praescriptis, independenter a legitima ecclesiastica auctoritate immutare, abolere vel quid novum, etiamsi desumptum sit ex christiana antiquitate, introducere. « Uni Summo Pontifici ius est quemlibet de divino cultu agendo morem recognoscere ac statuere, novos introducere ac probare ritus, eosque immutare, quos quidem immutandos iudicaverit », (cfr. can. 1257.) salva tamen substantia constituta iure divino. « Episcopis autem ius et officium est vigilare diligenter ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur ». (cfr. can. 1261.)<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> Encycl. *Mediator Dei* l. c. p. 544.

2º Ex sublimi dignitate cultus liturgici sequitur quod sive a clero sive a fi-delibus maximo honore et aestimatione prosequendus et maxima cura exsequendus sit: actione digna, accurata prolatione verborum, devota et actuosa assistentia et participatione, nitiditate et decore paramentorum omniumque rerum et locorum ad illum adhibitorum; ita etiam ut evitata omni praxi superstitionis nihil admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis lucri speciem praeserens. (can. 1261 § 1.)

Liturgia, omni privatae devotioni praefereenda, praecise huius fontem, centrum ac normam constituere debet, ita ut exercitio privatae pietatis fideles quin a cultu liturgico amoveantur, e contra ad illum impensiore desiderio compellantur.<sup>1)</sup> Optime proinde instruendi sunt fideles de valore cultus liturgici, docendi de thesauris in ipso conditis atque de modo iisdem participandi, concessionibus, instructionibus, libris atque opusculis etc. eo modo ut omni quietismo ac falso mysticismo seposito vitam suam practico spiritu liturgico imbuant.<sup>2)</sup>

3º Ab altera parte magni facienda remanent privatae pietatis exercitia (in quibus eminent v. g. meditatio, examen conscientiae, visitatio coram Ss. Sacramento, diversae preces et supplicationes in honorem B. M. Virginis et speciatim Ss. Rosarium, exercititia spiritualia) eaque quae licet ad S. Liturgiam stricte non pertineant, « peculiari tamen momento dignitateque pollent, ita ut in liturgicum ordinem quodammodo inserta censeantur » (uti v. g. celebratio mensis Maii in honorem B. M. Virginis, mensis Junii in honorem Ss. Cordis Jesu, plura novena et tridua, via Crucis etc.) Haec enim omnia tum necessaria sunt ut sacerdotes et fideles acquirant internam illam devotionem sine qua (iuxta dicta n. 409) ritus liturgici inanes et vani sunt, tum praecise impellunt ad assistendum Missae Sacrificio, ad recipienda sacramenta atque ad participandum aliis functionibus liturgicis. « Quamobrem perniciosa rem egerit ac fallacia plenam, qui temerario ausu sumpserit haec omnia pietatis exercitia reformatre, eaque ad liturgicorum rituum rationes ac modos solummodo reducere »<sup>3)</sup>

Licet ergo liturgica precatio « cum publica sit inclitae Iesu Christi Sponsae supplicatio, privatis precibus potiore excellentia praestet », haec tamen duo genera non sese excludunt vel inter se repugnant, sed magis sese corroborant et simul coniuncta ad copiosum fructum perducunt, tendentia ad idem propositum: « donec formetur Christus in nobis ». (Gal. 4, 19.)<sup>4)</sup>

## II. Circa cultum duliae et hyperduliae.

Iº Cultu publico eos tantum servos Dei venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae inter Sanctos vel Beatos relati sint. In album *Sanctorum* canonice relatis cultus duliae debetur et Sancti coli possunt ubique et quovis actu eius generis cultus; *Beati* vero non possunt nisi loco et modo quo Romanus Pontifex concesserit. (can. 1277). Servis Dei *aequipollenter* beatificatis iidem concedi possunt actus publici cultus, quibus honorari consueverunt formaliter beatificati. (can. 2135.)<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Encycl. *Mediator Dei*. l. c. p. 586.

<sup>2)</sup> Encycl. *Mediator Dei*. l. c. p. 592-593.

<sup>3)</sup> Encycl. *Mediator Dei*. l. c. p. 585-587. In necessitate privatae pletatis exercitiorum denuo institut Card. Secret. S. Officii epist. ad Episc. Salisburg. 25 Nov. 1940 (*Salzb. Klerusblatt* 25 Dec. 1948 (n. 26).

<sup>4)</sup> Encycl. *Mediator Dei*. l. c. p. 537.

<sup>5)</sup> *Aequipollenter* beatificati dicuntur illi Servi Dei, quorum causa beatificationis processit per viam

Denum, publicato decreto quo declaratur alicuius Servi Dei virtutes omnes in gradu heroico vel martyrium bene esse probata, Servus Dei nuncupari potest *venerabilis*; qui tamen titulus nullam publici cultus permissionem importat. (can. 2115. § 2 et 2084. § 2) Imagines Servorum Dei, nondum beatificatorum, neque altaribus utcumque imponi possunt neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis, aliisque sanctitatis signis; possunt tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium prae se ferant, neque quid profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni. Cfr. Decr. Auth. S. C. R. n. 3835. — Orationes autem in honorem Servi Dei semper approbatione Ordinarii indigent, qui quidem abstinere debet ab eisdem orationibus commendandis ac praesertim indulgentiis ditandis. Cfr. Decr. S. C. Rit. 21 Martii 1914. (A. A. S. p. 192.)

2º Laudabiliter quoque, servatis servandis, Sancti nationum, dioecesum, provinciarum, confraternitatum, familiarum religiosarum aliorumque locorum et moralium personarum eliguntur et, accedente confirmatione Sedis Apostolicae, constituuntur *Patroni*; Beati non item, sine peculiari eiusdem Sedis Apostolicae indulto. (can. 1278.)

**412. — II. Carea cultum imaginum.** 1º Nemini licet in ecclesiis, etiam exemptis, aliisve locis sacris ullam *insolitam* ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata. (can. 1279. § 1.)

2º Ordinarius autem sacras imagines publice ad fidelium venerationem exponendas ne approbet, quae cum *probato* Ecclesiae *usu* non congruant. Numquam sinat in ecclesiis aliisve locis sacris exhiberi *falsi dogmatis* imagines vel quae debitam *decentiam* et *honestatem* non prae se ferant, aut rudibus *periculosi erroris occasionem* praebeant. (can. 1279. § 2. 3.) Cfr. Decr. S. Off. 26 Maii 1937<sup>1)</sup> « De novis cultus seu devotionis formis non introducendis deque inolitis in re abusibus tollendis. » Ad sacras tamen aedes sacrosque ritus debita reverentia debitoque honore inserviendum liber relinquatur campus *arti christiana* etiam modernae, dummodo *potius spectentur necessitates christiana communitatis* quam peculiare artificum iudicium atque ingenium; reprobatiss iis imaginibus et formis quae magis sacrae artis deformationes videantur, quaeque etiam nonnunquam decori, modestiae ac pietati christiana aperte repugnant. Ita Pius XII, Encycl. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947<sup>2)</sup>. Notes et decr. S. Off. 26 Aug. 1891, ex quo imagines solum Cor Jesu sine persona representantes tantum privatae devotioni permittuntur, sed in altaribus publicae venerationi colenda non debent exponi<sup>3)</sup>.

3º Si imagines, publicae venerationi expositae, *solemniter benedicantur*, haec benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere. (can. 1279. § 4).

4º Imagines *pretiosae*, idest vetustate, arte aut cultu praestantes, in ecclesiis vel oratoriis publicis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione indigeant, numquam *restaurentur* sine dato scriptis consensu ab Ordinario; qui, antequam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulat. (can. 1280.) Nec possunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedi permissu. (can. 1281.)

---

extraordinariam casus excepti seu cultus. Per hanc extraordinariam viam proceditur, quando probari intenditur aliquem Servum Dei in possessione publici et ecclesiastici cultus versari. (can. 2000 § 1 et 2.). Talis processus admittitur pro iis Servis Dei, qui post pontificatum Alexandri III et ante tempus a constitutione Urbani VIII *Cœlestis Hierusalem* anno 1634 praefixum (id est ante annum 1534) ex tolerantia cultum habuerunt (can. 2125.). Processu rite peracto ad normam iuris (can. 2125-2134) et confirmato cultu per decretum Romani Pontificis, Servus Dei habendus est aequipollenter beatificatus (can. 2134).

<sup>1)</sup> A. A. S. 1937. p. 304.

<sup>2)</sup> A. A. S. 1947. p. 590-591.

<sup>3)</sup> Coll. de Prop. Fid. n. 1767. Cfr. et S. C. Rit. 28 Martii 1914. A. A. S. 1914. p. 146.

5º Nisi censura ecclesiastica praecesserit, ne edantur, etiam a laicis, imagines sacrae quovis modo *imprimendae*, sive preces adiunctas habent, sive sine illis eduntur. (can. 1385. § 1. 3º) — *Prohibentur* autem imagines quoquo modo impressae Domini Nostri Jesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei *ab Ecclesiae sensu et decretis alienae*. (c. 1399. n. 12; cfr. S. Off. 30 Martii 1921. A. A. S. p. 197.)

**Nota.** — Vexilla seu insignia non stricte religiosa, modo non pertineant ad societas religioni catholicae manifeste contrarias nec reprobata sint harum statuta neque ipsa insignia aliquod emblema de se vetitum ac reprobatum praeseferant<sup>1)</sup>, in ecclesia et in functionibus admitti possunt. Atque etiam benedici possunt si hoc in obsequium religionis catholicae pacifice postuletur.<sup>2)</sup> Excipiuntur tamen vexilla seu insignia partium politicarum quae benedicere non licet,<sup>3)</sup> atque ab ecclesia arceantur. Prohibitio admittendi vexilla religioni catholicae contraria etc. pro solemni functione *exequiarum* solummodo valet de ea parte processionis quae feretrum praecedat, non de multitudine quae sponte illud sequitur; *in ecclesiam* tamen inferri non possunt<sup>4)</sup>.

**413. — III. Circa cultum reliquiarum.** 1º **AUTHENTICITAS EARUM.** Eae solae reliquiae in ecclesiis, quamquam exemptis, publico cultu honorari possunt, quas genuinas esse constet authenticum documento alicuius S. R. E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici cui facultas *authenticandi* indulto apostolico sit concessa; Vicarius vero Generalis nequit, sine mandato speciali, reliquias authenticas edicere. (can. 1283.) Nequit etiam, sine tali mandato, authenticare *partem* sacrae reliquiae, ex authentica extractam aut novum authenticitatis documentum tradere vel sacrae reliquiae novum sigillum apponere<sup>5)</sup>.

Locorum autem Ordinarii reliquiam, quam *certo* non esse authenticam norint, a fidelium cultu prudenter amoveant. (can. 1284.) Eae vero reliquiae, quarum authenticitatis documenta ob civiles perturbationes vel ob alium quemlibet casum interierint, publicae venerationi ne exponantur, nisi praecedat iudicium Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali. Attamen, reliquiae *antiquae* in ea veneratione, qua hactenus fuerunt, sunt retinendae, nisi in aliquo peculiari casu certis argumentis constet eas falsas vel suppositicias esse. (can. 1285.) Locorum Ordinarii ne sinant, maxime in sacris concessionibus, libris, ephemeridibus vel commentariis fovendae pietati destinatis, ex meritis conjecturis, ex solis probabilibus argumentis vel praeiudicatis opinionibus, praeassertim verbis ludibriis aut despectum sapientibus, quaestiones agitari de sacrarum reliquiarum authenticitate. (can. 1286.)

Qui *falsas* reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit. (can. 2336.)

2º **EXPOSITIO RELIQUIARUM.** Reliquiae cum *exponuntur*, in thecis seu capsis clausae et obsignatae sint oportet. Reliquiae *Sanctissimae Crucis* numquam in eadem theca cum reliquiis Sanctorum publicae venerationi exhibeantur, sed propriam thecam separatam habeant. *Beatorum* reliquiae, sine peculiari indulto, in processionibus ne circumferantur, neve in ecclesiis exponantur, nisi ubi eorum Officium et Missa celebretur ex Sedis Apostolicae concessione. (can. 1287.)

<sup>1)</sup> Quodsi vexilla praeseferant emblemata manifeste impia vel perversa ab ecclesia et officiis liturgicis arcenda sunt, et si vi extollantur clerici a functione religiosa recedat. S. Off. 24 Nov. 1897. Cfr. *Eph. lit. Pars altera*. 1947. p. 57-58.

<sup>2)</sup> S. C. Rit. 26 Martii 1924. A. A. S. 1924. p. 171.

<sup>3)</sup> S. Off. 20 Martii 1947. A. A. S. 1947. p. 130.

<sup>4)</sup> Litt. S. Off. ad Card. Archiepisc. Palermit. 6 Martii 1947. Cfr. Monit. eccl. 1948. p. 23.

<sup>5)</sup> C. C. Int. 17 Iulii 1933 sub I. A. A. S. 1933. p. 345.

3º ALIENATIO ET ASSERVATIO RELIQUARUM. *Insignes reliquiae*<sup>1)</sup> itemque eae quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permisso. (can. 1281. § 1.) Sanctissimae Crucis reliquiae, quas in cruce pectorali Episcopus forte defert, ecclesiae cathedrali, ipso defuncto, cedunt Episcopo successori transmittendae; et si defunctus pluribus praefuerit dioecesis, ecclesiae cathedrali dioecesis in cuius territorio supremum diem obiit aut, si extra dioecesim mortuus est, ex qua ultimo discessit. (can. 1288.)

Sacras reliquias VENDERE nefas est;<sup>2)</sup> adeoque Ordinarii locorum, vicarii foranei parochi, aliive curam animarum habentes, sedulo caveant ne sacrae reliquiae, praesertim, sanctissimae Crucis, occasione maxime hereditatum aut alienationis acervi bonorum venant, neve in acatholiceorum manus transeant. (can. 1289.)

Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae nequeunt in aedibus vel oratoriis privatis asservari, sine expressa Ordinarii loci licentia. Reliquiae vero non insignes debito cum honore etiam in domibus privatis servari pieque a fidelibus gestari possunt. (can. 1282.) — Ceterum rectores ecclesiarum, ceterique ad quos spectat, sedulo invigilent ne sacrae reliquiae ullo modo profanentur, hominum incuria pereant vel minus decenter custodiantur. (can. 1289.)

## Articulus II.

### Oratio.

414. — I. Notio et divisio. Oratio late sumpta, prout comprehendit etiam meditationem, laudem Dei etc., est ascensus mentis in Deum;<sup>3)</sup> oratio proprie dicta, de qua hic agimus, est petitio decentium a Deo.<sup>4)</sup> Oratio est actus religionis; etenim «per orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum Ei se subiicit et profitetur orando se Eo indigere sicut auctore suorum bonorum.» (2. 2. qu. 83. a. 3.) — Oratio dividitur: 1º in *internam seu mentalem*, quae corde absolvitur, et *externam seu vocalem*, quae voce etiam profertur; 2º in *publicam*, quae fit nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis, et *privatam*, quae funditur nomine proprio pro se vel pro aliis.

II. Necessitas orationis. Oratio adultis est necessaria non solum necessitate praecepti, sed etiam, de via ordinaria, necessitate medii in opere salutis consequendae.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva (can. 1281. § 2.).

<sup>2)</sup> Cfr. infra n. 446. in fine. Cfr. etiam S. C. Indulg. et Reliqu. 21 Dec. 1878 (n. 443) praeciopiens: «ne Christifideles sub quolibet praetextu, etiam redimenti, sacras Reliquias et Sanctorum exuvias, licet capsula reconditas et sigillo munitas, tam in Urbe quam extra emere aut mercari praesumant.» — Hinc ubi adest periculum profanationis per se auctoritas ecclesiastica monenda est; excipe tantum periculum imminentis profanationis, ita ut periculum esset in mora. Cfr. Génicot. I. n. 288; Cocchi. i. h. c.; Blat. i. h. c.

<sup>3)</sup> Ita S. Jo. Dam. l. 3. de fid. orthodox. c. 24 (M. P. G. 94. col. 1090).

<sup>4)</sup> Ita S. Thom. 2. 2. qu. 83. a. 1, post S. Jo. Dam. l. c.

<sup>5)</sup> De necessitate medii in genere cfr. supra n. 309. *nota marg.*

Probatur necessitas *medii* ex multis locis S. Scripturae: « Vigilate et orate, ut non intretis in temptationem » (Matth. xxvi. 41); « Petite et dabitur vobis » (Matth. vii. 7); « Non habetis propter quod non postulatis. » (Jac. iv. 2.) Huiusmodi loci probant non solummodo necessitatem praecepti, verum etiam necessitatem *medii*, quia necessitatem orationis inculcant tamquam *medii* ordinarii ad gratias necessarias obtainendas. Idem constat ex documentis magisterii ecclesiastici et ex SS. Patribus et Doctoribus Ecclesiae, praesertim ubi citatos S. Scripturae locos interpretantur. — Necessitas *praecepti* probatur: 1<sup>o</sup> ex S. Scriptura, ubi saepe necessitas orationis sub forma *praecepti* proponitur, ita ut Ecclesia dicat: « *praeceptis salutibus moniti* »; 2<sup>o</sup> ex eo quod homo tenetur tendere ad bonum gratiae et vitam aeternam ideoque media adhibere necessaria ad illa bona consequenda, inter quae media venit et oratio, ut probavimus; 3<sup>o</sup> ex ipso *pracepto virtutis religionis*, quia homo tenetur cultum Deo exhibere de omnibus suis bonis; sed per orationem *praeceps* homo tradit « mentem suam Deo quam ei per reverentiam subiicit et quodammodo *praesentat*. »<sup>1)</sup>

NECESSITAS MEDII orationis sic paulo fusius evolvitur: Opus salutis nostrae in hac vita seu vita salutaris, qua ad aeternam beatitudinem pervenimus, his tribus componitur: iustificatione, observantia *praeceptorum* et perseverantia finali. Porro, praeterquam quod iustificatio est opus gratiae, perseverantia quoque finalis non obtinetur sine speciali gratiae auxilio, et auxilium gratiae pariter necessarium est ad legem implendam sicut oportet ad salutem. Iamvero in distributione gratiae ordinaria Dei providentia hunc statuit ordinem, quo vult ut, gratia Eius *praeventi*, supplici oratione ceteras gratias quibus legem impleamus et in bono perseveremus et ipsi petamus. Hoc constat ex testibus S. Scripturae supra citatis.<sup>2)</sup> Constat ex documentis magisterii ecclesiastici: a) pro gratia necessaria ad *praceptorum* observantiam ex Conc. Trid. (sess. VI. cap. 11), dicente cum S. Augustino: « Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis, et adiuvat ut possis »; b) pro perseverantiae dono ex Conc. Araucano II, quando dicit: « Adiutorium Dei etiam renatis ac sanatis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire vel in bono possint opere perdurare. »<sup>3)</sup>

Idem constat ex consensu SS. Patrum et Doctorum Ecclesiae. Sic S. Aug. in Ps. 102. scribit: « Deus dare vult, sed non dat nisi petenti. »<sup>4)</sup> Et S. Thomas: « Post Baptismum necessaria est homini iugis oratio ad hoc, quod caelum introeat: licet enim per Baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati, nos impugnans interius; et mundus et daemones qui impugnant exterius. »<sup>5)</sup> Et in verba Salvatoris ad Samaritanam: « Tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam, » « ostenditur, ita ait,... quia absque petitione et desiderio non datur alicui gratia. »<sup>6)</sup> Et alibi: « Inter omnia necessaria ad vitam christianam *praecepit* est oratio. »<sup>7)</sup> — S. Bonaventura in verba Evangelii: « Domus mea domus orationis vocabitur, » dicit: « nullus domum Dei fideliter habitat, nec finaliter perseverat, qui orationi non intendit, et omnis qui intendit orationi

<sup>1)</sup> 2. 2. qu. 83. a. 3. ad. 3.

<sup>2)</sup> Cfr. etiam Sap. VIII. 21, Jac. I. 5, Lyc. xxi. 36, I Pet. IV. 7.

<sup>3)</sup> Cfr. Denz. n. 183.

<sup>4)</sup> Ed. M. P. L. 37. col. 1324.

<sup>5)</sup> 3. qu. 39. a. 5. c.

<sup>6)</sup> In Jo. IV. 10.

<sup>7)</sup> In I. Thymoth. cap. 2. lect. 1. Cfr. et in Matth. 7. 7.

instanter et fideliter, in domo Dei manet, ut deceat. Talis autem solus idoneus est ad salutem: totius ergo nostrae salutis effectus est sanctae orationis dignus et conveniens usus. »<sup>1)</sup> — S. Alfonsum demum totum suum opus « *de Magno Medio Orationis* » hisce verbis concludit: « Qui orat certo salvabitur, qui non orat certo damnabitur. »<sup>2)</sup>

Confirmatur demum doctrina proposita ratione convenientiae, tum ob *excellentiam bonorum spiritualium* quae nonnisi divinitus dantur quaeque ideo per recursum ad Deum obtinenda sunt;<sup>3)</sup> tum ob *inefficaciam voluntatis nostrae* ad implenda ea quae vult, nisi per virtutem divinam;<sup>4)</sup> tum ob *ipsam naturam orationis* quae, utpote humilitatem fovens, est dispositio maxime conveniens ad gratiam.<sup>5)</sup>

**III. Frequentia obligationis.** Praeceptum est orare frequenter. Constat ex Eccli. xviii. 22: « Non impediari orare semper; » Luc. xviii. 1: « Oportet semper orare, et non deficere. »

Hinc obligat *per se*: 1º initio usus rationis; 2º in articulo mortis; 3º frequenter in vita. — Obligat *per accidens*: 1º quoties urget gravis tentatio, quae aliter vinci nequeat, quod saepe evenit; 2º in statu peccati mortalis, ad resurgendum; 3º quoties urget gravis calamitas proximi, praesertim publica. (*Lib. 3. in initio; Silva, p. 3. app. punct. 3; Concilio 39. punct. 2; Praep. ad mortem, cons. 30. punct.*)

Quod attinet ad orationis *frequentiam* in vita, S. Alfonsus cum aliis DD. docet, orationem per notabile tempus omittere, puta per mensem aut certe per duos menses, esse *per se* peccatum grave. Rationes sunt: 1º necessitas orationis ad rectitudinem vitae, ut ostendimus; 2º quia per tantum tempus non orare est graviter deficere a praeepta frequenti oratione. Haec doctrina intelligenda est, seclusa obligatione *per accidens*. (S. Alf. *Instit. catech. part. 1. cap. 1. § 4; De orat. part. 1. cap. 3. § 3; Vera sponsa, cap. 20; Praxis amoris, cap. 8; Praep. ad mortem, consid. 30. punct. 2. )*

Qui orationem negligit, cum per accidens obligat, non peccat contra religionem, sed contra eam virtutem, quae per accidens obligat ad orandum.

**IV. Obiectum orationis** constituunt ea omnia quae licite desiderantur ut cum S. Augustino<sup>6)</sup> docet S. Thomas.<sup>7)</sup> Sicut igitur absolute licet desiderare ea bona quibus beatificamur et quibus meremur beatitudinem, sic quoque licet ea petere absolute, secundum ordinem tamen divinae Providentiae. Cetera vero bona nec desiderare nec petere possumus licite nisi

<sup>1)</sup> *Serm. de temp. Dom. IX p. Pent. serm. II.*

<sup>2)</sup> *Pars I. cap. I. in fine; et in fine totius opusculi. Cfr. etiam Regolamento di vita, Avvertimenti necessari ad ogni persona di qualunque stato per salvarsi.* — Numquam satis commendatur lectio eximii operis S. Alfonsi: *De magno medio orationis*, quod ipse anteponebat omnibus operibus suis, ob magnam eius utilitatem.

<sup>3)</sup> Cfr. S. Thom. 4. *Dist. qu. 4. a. 1. qu. 3.*

<sup>4)</sup> Cfr. 3. *qu. 21. a. 1.*

<sup>5)</sup> Cfr. 3. *qu. 13. a. 4 ad 3.*

<sup>6)</sup> *Ep. 130. c. 10. n. 19-20.*

<sup>7)</sup> 2. 2. *qu. 83. a. 5.*

conditionate, in quantum nempe sunt adminicula quibus iuvamur ad tendendum in beatitudinem.<sup>1)</sup>

Notes autem haec omnia etiam pro omnibus proximis nostris impetranda esse, ex lege caritatis; ita ut nec inimicos nostros ab oratione excludere liceat.<sup>2)</sup> Pro determinatis personis eatenus orandum est quatenus eorum necessitas vel coniunctio specialis nobiscum id postulaverint.

**V. Efficacia orationis.** Oratio facta cum debitis conditionibus, infallibiliter impetrat, vi divinae promissionis, si ille, pro quo oratur, non ponat obicem. Haec promissio frequenter in Script. repetitur, ut in Ps. XLIX. 15: « Invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me; » ideo in Ps. LXV. 20 aiebat David: « Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me ». Item Matth. VII. 7. 8: « Petite et dabitur vobis... Omnis enim qui petit, accipit; » Jo. XVI. 23: « Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis ».

**VI. Conditiones efficaciae** sunt: 1º ut petantur *utilia ad salutem*, uti habetur in verbis « in nomine meo, » et in 1 Jo. V 14: « Quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos; » 2º *cum humilitate*; quia « Deus superbis resistit » (Jac. IV. 6.); 3º *cum fide firma*; ex Matth. XXI. 22: « Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis, » et Marc. XI. 24: « Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis et eveniet vobis; » 4º *cum perseverantia*, ut explicuit Christus apud Luc. XI, in parabola de illo, qui tres panes petit ab amico, et in altera cap. XVIII, de vidua, quae a iudice vindictam petiit. (S. Alf. *De orat. part. 1. cap. 3;* S. Thom. 3. 2. *qu. 83. a. 7. ad 2. et a. 15. ad 2.*)

Advertendum autem, quod si oratio non omnes conditiones necessarias habeat, possit nihilominus impetrare *ex benignitate Dei*, quamvis non infallibiliter *ex promissione*; impetrabit saltem spiritum ferventioris orationis. (S. Alf. *in Trident. sess. 6. n. 143.*)

Demum, si pro aliis oramus, oratio nostra pro istis tunc tantum efficax erit, si nullum impedimentum eius efficaciae opponunt. Cfr. 2. 2. *qu. 83. a. 7. ad 2.*

**VII. Modus externus orandi** pro cultu *publico* proprie dicto regitur solis legibus liturgicis Ecclesiae. (cfr. can. 1257, 1260, 1261.) — Pro cultu autem *privato* quidem, sed publice exercendo, e canone 1259 orationes et pietatis exercitia ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis sine revisione et expressa Ordinarii loci licentia, qui in casibus difficultioribus rem totam Sedi Apostolicae subiiciat. Nequit autem novas litanias approbare publice recitandas.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> S. Th. I. c. a. 6.

<sup>2)</sup> Cfr. I Tim. II. 1-3; Jac. V. 16, Matth. V. 16, Matth. V. 44.

<sup>3)</sup> Cfr. etiam Decr. S. C. Conc. 11 Febr. 1936 de piis peregrinationibus. A. A. S. 1936. p. 167.

415. — Quaestiones. QUAER. 1º *An sit peccatum preces matutinas aut vespertinas omittere.*

*Resp.* Per se, negat.: quia nullum de illis exstat praeceptum. In praxi vero, illas saepius omittere non excusabitur a veniali; acdiam namque denotat, tum quia dictas preces peragere est generalis consuetudo fidelium, tum quia, qui illas omittunt, et alias orare negligunt. Idem fere dicendum de precibus ante et post principaliores refectiones. (Suarez. *De relig. tr. 4. lib. 3. cap. 6. n. 11*; Elbel. *Theol. mor. part. 2. n. 400.*)

QUAER. 2º *Quantum peccatum sit voluntaria distractio in oratione.*

*Resp.* Est veniale, etiamsi oratio non sit praecepta; quia est quaedam irreverentia erga Deum. Praeterea impedit orationis fructum; « illam enim orationem Deus non audit, cui ille, qui orat, non intendit, » ait S. Gregor. apud S. Thom. 2. 2. *qu. 83. a. 13*; ideo ibidem S. August. dicit: « Cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. »<sup>1)</sup>

## CAPUT II.

### PECCATA CONTRA PRIMUM PRAECEPTUM

Sunt supersticio per excessum, et irreligiositas per defectum. *Supersticio* quidem, non quia plus impendit in cultum divinum quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel modo quo non debet: *irreligiositas*, quando quis Deum operibus suis iniuria afficit.

#### *Articulus I.*

##### **Supersticio.**

###### § I. - SUPERSTITIO GENERATIM.

416. — **Notio et divisio.** Supersticio est cultus vitiosus veri vel falsi numerinis. Duplex est: una, qua Deo tribuitur cultus indebitus; altera, qua cultus Deo debitus tribuitur creaturae. Prima dicitur supersticio ratione modi, quia modo indebito colitur Deus; secunda ratione *rei cultae*, quia colitur creatura cultu divino, qui est indebitus creaturae.

Porro: 1º Cultus *indebitus Deo* est vel superfluuus vel falsus. *Superfluuus seu inanis* est, qui contra morem Ecclesiae ponit religionem in iis rebus

<sup>1)</sup> Cfr. 2. 2. *qu. 83. a. 13*; et infra *n. 1126. qu. 1*. Textus S. Greg. implicite est in *lib. 22. Mor. (M. P. L. 76. col. 238)*; ad litteram est ex Hugone a S. V. *Exp. in Reg. S. Aug. exp. 3. (M. P. L. 176. col. 891.) A. S. Thoma proprie allegatur de intentione; sed agit revera de attentione.*

aut circumstantiis, in quibus non est ponenda, ut in numero, colore, situ, et similibus; v. g. ad obtinendum a Deo aliquod beneficium ieunare in festo Natalis Domini vel Paschatis; recitare Pater et Ave intra Missam, sed necessario inter utramque Consecrationem. — *Falsus* est, qui Deum colit, aliquid falsum significando, e. g. si quis non sacerdos Missam celebrare, Confessiones audire attentet; si quis nunc Deum coleret per caeremonias iudaicas; si in Sacramentis ministrandis mutaret formam vel materiam; si falsas reliquias venerandas proponeret; si falsa miracula, falsas prophetias aut revelationes spargeret, et similia.

2º Cultus *falsi numinis* tripliciter evenire potest: a) agnoscendo in creatura aliquid divinum, et dicitur *idolatria*; b) inquirendo cognitionem rerum occultarum, et vocatur *divinatio*; c) prosequendo auxilium aut favorem, et appellatur *vana observantia*; ad quam reducitur *magia*, qua quis mirabilia exposcit.

**417. — Moralitas.** I. Superstitio *superflui cultus* ut plurimum non est nisi veniale peccatum; quia materia levis est, et actiones ex se non malae sunt, ideoque non includit gravem irreverentiam in Deum, et saepe excusat simplicitas. Secus vero esset, si ex pravo animo et contemptu fieret; tunc grave peccatum esset ob gravem irreverentiam. *Ita communiter.* (n. 4).

II. Superstitio *falsi cultus* peccatum grave est ex genere suo, quia religionem fundat in mendaciis, ideoque gravem divinae veritati iniuriam irrogat. *Ita communiter.* (n 3)

Attamen fingere aliquam circumstantiam falsam aedificationis causa, non videtur necessario esse peccatum grave, iam ex eo quod falsitas qua talis non immediate adhibetur ad colendum Deum. Cfr. Lehmkühl. I. n. 491.

Notetur etiam can. 1261. § 1, vi cuius locorum Ordinarii advigilent praesertim ne in cultum divinum sive publicum sive privatum aut in quotidiam fidelium vitam superstitionis ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem prae se ferens. Leges loci Ordinarii valent etiam pro exemptis atque in hunc finem ille potest eorum Ecclesias vel oratoria publica visitare. (can. 1261.) Imo, vi can. 2352, superstitionis ab Ordinario punienda est.<sup>1)</sup>

III. Cultus *falsi numinis* per se peccatum grave est ex *toto* genere suo; quia ex se honorem Deo reservatum, creaturae et tandem daemoni tribuit; per accidens fieri potest peccatum leve ob ignorantiam seu simplicitatem leviter tantum culpabilem, vel, si non est *idolatria*, ob defectum fidei vel seriae intentionis, prout infra patebit.

## § II. - IDOLOLATRIA.

**418. — I. Notio et divisio.** Idololatria est cultus divinus exhibitus creaturis, et tandem aliquando daemonibus, iuxta Ps. xcv. 5: « Omnes dii gentium daemonia ».

<sup>1)</sup> Cfr. etiam Decr. S. O. Concilii 7 Iunii 1932 de gratiarum et oblationum in piis ephemeralibus evulgatione. A. A. S. 1932. p. 240.

Idololatria vi vocis est cultus, qui dum soli Deo debetur, *idolo* tribuitur. Idolum autem proprie est statua vel imago vel symbolum, repreaesentans creaturam ut Deum; dein etiam quaevis creatura, quae tamquam Deus colitur, etsi non in aliqua repreaesentatione, sed in se et propter se adoretur, ut si soli in se cultus divinus tribueretur. — Idololatria triplici actu perfici potest: actu intellectus quo creatura creditur Deus, actu voluntatis quo intenditur creaturam honorare ut Deum, actu exteriori quo creaturae externe honor divinus tribuitur. Ultimus actus sufficit ut habeatur idololatria.<sup>1)</sup> In S. Scriptura idolum nunc nihil nunc daemon esse dicitur. Cfr. I Cor. viii. 4. et Ps. xcv. 5.

Idololatria est duplex: 1<sup>o</sup> *Formalis seu propria*, quae fit cum intentione adorandi; et subdistinguitur in *perfectam*, quando procedit ex infidelitate, qua idolum sive daemon creditur Deus esse: et *imperfectam*, quando procedit, non ex errore circa Divinitatem sed ex odio Dei aut desiderio aliquid obtinendi a daemone. — 2<sup>o</sup> *Materialis seu facta*; quae fit sine affectu colendi, v. g. ex metu mortis. (n. 12.)

**II. Moralitas.** Idololatria tum formalis sive perfecta sive imperfecta tum materialis est gravissimum peccatum laesae Maiestatis Divinae; gravior autem est idololatria formalis quam materialis quia est pure voluntaria; perfecta autem obiective est gravior quam imperfecta quia involvit etiam peccatum infidelitatis; imperfecta vero subiective est gravior quia procedit ex mera malitia. Idololatria etiam materialis est grave peccatum quia est mendacium perniciosum contra religionem et etiam externae fidei professioni adversatur.

### § III. - DIVINATIO.

**419. — I. Notio et divisio.** Divinatio est inquisitio cognitionis rerum occultarum ope daemonis. — Modus divinandi est *duplex* prout invocatio daemonis seu pactum cum eo est expressum vel tacitum seu *implicitum*. Fit pactum *expressum*, expresse diabolum invocando, aut cum ipso conveniendo, ut, positis talibus signis, verbis aut actibus, ipse tales effectus producat; fit pactum *implicitum*, quando quis utitur mediis ineptis, in quibus novit neque divinam neque naturalem vim inesse intentos effectus producendi; tunc enim restat ut a daemone eos exspectet.

**II. Moralitas.** 1<sup>o</sup> Divinatio, sive fit pacto expresso sive implicito cum daemone, *per se* est gravissimum peccatum contra religionem, quatenus Deum maxime inhonorat qui societatem init cum daemone, et ea, quae a Deo solo exspectanda sunt, auxilio daemonum implorat.

Constat: 1<sup>o</sup> ex Script., in Deut. xviii. 10-12: « Nec inveniatur in te, qui ariolos sciscietur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem. Omnia enim haec abominatur Dominus. » Cfr. et Levit. x. 6. — 2<sup>o</sup> Ex ratione; etenim contra daemones, capitales Dei hominumque hostes, indicta nobis est lucta et bellum; qui ergo *societatem cum daemone init*, crimen laesae Maiestatis Divinae committit, ac proinde gravissimam Deo iniuriam facit contra honorem eius, et contra fidelitatem ei debitam. Rursus « ea quae sunt supra

<sup>1)</sup> Cfr. Gallo. *Suppetiae morales*. II. sect. 2. c. 1: Vacant. *Dict. de Théol. cath.* v. *Idololatrie*.

facultatem humanam et naturae, a solo Deo requirenda sunt: ideo, sicut graviter peccat, qui illud, quod est Dei, creaturem impedit per idolatrie cultum, ita etiam graviter peccant, qui ea, quae a Deo exspectanda sunt, auxilio daemonum implorant. »<sup>1)</sup> — Ad haec in consultatione daemonis invenitur ingens periculum deceptionis, cum ipse sit pater mendacii, nec cogitationes hominis internas nec futura libera contingentia certo cognoscat; et in expressa invocatione daemonis non raro accedit idolatria, apostasia, haeresis, etc. (n. 5. et 6.)

2º Divinatio quae fit pacto expresso cum daemone est peccatum mortale ex toto genere suo. Divinatio per implicitam daemonis invocationem aliquando *per accidens* excusari potest a peccato mortali ob *simplicitatem* vel *ignorantiam* non crassam, vel ob *defectum fidei adhibitae*. Ratio est imperfectio actus. (n. 7.)

Verumtamen non excusatur a mortali qui *sciens* media esse improportionata, illa adhibet ad intentum obtinendum, licet praemittat protestationem contra omnem diaboli interventum; quia eius actio huic protestationi contraria est et illam inanem reddit. (n. 6.)

3º Divinatio facta cum expressa vel cum tacita daemonis invocatione specie non differunt, cum taciti et expressi eadem sit ratio. Idem dicendum de divinationibus quatenus diversis modis peraguntur, nam in eodem omnium malitia sita est, in contrahenda scil. societate cum daemone ut ipius ope res occultae detegantur.

**420. — Resolutiones.** 1º Supersticio est: a) Consultare divinos de bona vel mala sua fortuna, de nuptiis ineundis, de iure aliquo aut thesauro abscondito inveniendo, etc. Quod si fiat cum firma fide, vel cum scandalo, etc., est peccatum mortale; si vero curiositatis vel risus causa ut fit communiter, in se spectatum est veniale tantum, sed ratione scandali ob cooperationem ad peccatum divini, grave esset, si hoc advertatur. (n. 10.)

b) Astrologia *iudicaria*, quae ex signis in astris, ex eorum situ et motu, praesertim tempore nativitatis, praedicit futura contingentia libera quae pendent ex libero hominis arbitrio, vel omnino fortuita. Cfr. Jerem. x. 2. <sup>2)</sup>

c) Physiognomia *divinatoria*, quae ex signis corporis praedicit prosperos vel adversos hominis casus.

2º Non est supersticio: a) Astrologia *naturalis*, quae ex astris coniectat effectus naturales, qui ex influxu astrorum proveniunt, ut aestus, frigus, serenitas tempestas, et similia. (n. 10.)

b) Physiognomia *naturalis*, quae ex habitu corporis, ex conformatione vultus et frontis, ex colore, etc., corporis dispositionem et temperamentum, cui solent animi inclinationes ac ingenium accommodari, neenon vitam brevem vel longam coniectat. (n. 10.)

De *spiritismo* seu de modo quodam speciali divinationis hodieum quam latissime divulgato, cfr. infra n. 429.

**421. — Quaestiones. QUAER.** 1º *An futura praedicere ex SOMNIO semper sit illicitum.*

*Resp. Dist.* 1º Si moraliter certo constet somnia esse a Deo, quod rarissime contingit, eis credere licet; moraliter autem certo constare debet, quia Deus, cum somnia immittit, simul etiam reddit hominem certum vel fere certum ea ab ipso immitti.

<sup>1)</sup> S. Thom. 2. *Sent. dist. 7. qu. 3. art. 2.*

<sup>2)</sup> de Astrologia etiam moderna cfr. *Linzer Quartalschr.* 1936. p. 29. 537. 933.

2º Sine tali certitudine eis fidem adhibere involvit divinationem expressam, si quis somnium suum a daemone provenire credit; si vero somnium putet esse naturale, uti esse solet, et tamen ei fidem adhibeat, habetur divinatio implicita.

Somnia presumuntur naturalia; si quis vero putet somnium aliquod *extraordinarium* non potuisse esse naturale, tunc, ad discernendum an somnium sit a Deo vel a daemone, observetur, utrum quis ab *extraordinario* somnio excitatus sentiat se mente tranquillum, promptiorem ad bonum ac servitium Dei, an vero contra perturbatum, ad opus temerarium excitatum, ad bonum et servitium Dei tardiorum; in priori casu potest prudenter censere somnium esse a Deo, adhibito tamen semper prudenti iudicio Patris spiritualis; in posteriori vero casu, a daemone. (n. 9.)

QUAER. 2º *An usus SORTIUM semper sit illicitus.*

*Resp. Negat.:* ideo *disting.* Sortes *divisoriae*, quibus ex pacto decernitur quid cuique tribuendum sit in litibus dirimendis vel rebus dividendis, certe sunt licitae, ut patet, nisi humano iure prohibeantur.

Sortes *consultoriae*, quibus Deus consulitur ad cognoscendum quid occultum, illicita sunt tentatio Dei; nisi Dei inspiratione fiant, aut in casu urgentis necessitatis spiritualis ubi auxilia ordinaria deficiunt et tunc praemittenda est oratio.

Sortes *divinatoriae* seu *sortilegium*, quibus rei occultae cognitio exquiritur, sed non a Deo, sunt superstitiones; quia sortes neque ex se, neque a Deo habent virtutem manifestandi occultum; eiusmodi ergo virtus exspectatur a daemone. (n. 10. 11.)

QUAER. 3º *Quid dicendum de usu VIRGAE DIVINATORIAE.*<sup>1)</sup>

*Resp. Dist.* 1º Illicitus est, quando virga mere ad intentionem manu tenentis eam movetur; ut si in inquisitione limitis translati agrorum solum ad lapidem terminalem, non ad alias lapides moveatur. (n. 8. 4º.)

2º Licitus est, quando aliquatenus saltem probabile est, virgam ex influxu rei quae sitae moveri posse; praesertim si experimentum fiat sub protestatione expressa contra influxum daemonis. Hoc modo nonnulli sustinent venam aquae (forsitan etiam metallorum aut carbonum?) in terra latentem detegi posse per quamdam hyperaesthesiam seu instinctum in aliquibus hominibus, per quam praesentiam venae sentiunt et vi cuius virga movetur.<sup>2)</sup>

QUAER. 4º *Quid dicendum de radiaesthesiae consultationibus.*

*Praen. Resp.* Radiaesthesia vel radioaesthesia est praxis vi cuius homo facultate radioaesthetica peculiariter exculta praeditus, mediantibus ut dicunt radiis ab obiectis emanantibus cognoscit obiecta quae ope normalis sensationis hic et nunc, propter loci vel temporis distantiam, cognosci non possunt. Sic cognosci dicuntur obiecta physica et psychica, praesentia, distantia et futura. Praeter virgam divinatoriam saepe adhibetur ad hoc pendulus sidereus qui dicitur (filus cui leve pondus annexitur) extensio et motus manuum; variis etiam usurpati signis seu «symbolis» rei dissitae, ut photographia, charta geographica, vestimento. Media ista inserviunt ad inducendum statum concentrationis attentionis necessariae ad radiorum perceptionem.

Facta radioaesthetica partim sunt fictitia, partim vera. In dijudicanda autem liceitate huius praxis attendendum est, quaenam facta probabiliter naturaliter explicari possint, quaenam non ita. Certe eventus futuri et a causa libera futura dependentes tali modo cognosci non possunt, quum eventus nondum realies nullos «radios» in tempus praesens emanare queant. Quapropter eo in casu huiusmodi praxis serio exercitata implicitam saltem superstitionem arguit. Insuper attendendum est ad decretum S. Officii 26 Martii 1942.<sup>3)</sup> quo ad dignitatem et auctoritatem status clericalis vel religiosi tuendam man-

<sup>1)</sup> Est virga ex corylo vel salice vel etiam metallo, quae ad res vel homines detegendos adhibetur; habet formam litterae Y seu furcae.

<sup>2)</sup> Cfr. *Studien* 1915. p. 515; et contra *Natur u. Offenbarung*. 1909. p. 600. Cfr. et *Pastor bonus*. 38 (1927) p. 347; cfr. et p. 346 de pendulo sidereo, de quo in qu. 4.

<sup>3)</sup> A. A. S. 1942. p. 148. Cfr. plura in *Period. de re mor.* 1942. p. 279.

datur locorum Ordinariis et religiosorum Superioribus ut suis clericis et religiosis districta ratione prohibeant quominus ad illas radiaesthesiae scrutationes umquam procedant quae respiciant consultationes *circa personarum circumstantias et eventus divinandos*; additis etiam, si id necessarium vel opportunum duxerint, huiusmodi vetito poenalium sanctionum minis. Noluit tamen S. Officium hoc decreto attingere quaestiones scientificas hac in re, prout diserte testatur ibidem.

**422.** — Nota pro praxi. *Per se* opus non est in Confessione exprimere, utrum supersticio facta sit cum expressa an cum tacita daemonis invocatione; quia specie non differunt. *Per accidens* vero aderit obligatio; quia invocatio expressa saepe adiuncta habet alia peccata; ut ex dictis supra n. 419 patet. (n. 6.)

#### § IV. - VANA OBSERVANTIA.

**423.** — **I. Notio.** Vana observantia est ratio consequendi effectum externum ope daemonis, i. e. medio aliquo improportionato, quod neque a Deo, neque a natura vim habet intentum effectum operandi. Fundatur ergo in pacto expresso vel implicito cum daemone, sicut divinatio. Vocantur porro varia media haec *sacra menta diaboli*, quandoquidem, his semel positis, ipse intentos ac promissos effectus exsequitur; non tamen semper.

**Modus exercendi** vanam observantiam triplex distinguitur: 1º *Ars notoria*, seu ratio adipiscendi scientiam sine labore, per inspectionem scilicet quarumdam figurarum, aut prolationem quorumdam verborum, additis interdum ieuniis et orationibus. 2º *Observantia sanitatum*, seu ratio curandi morbos, exhibitis quibusdam verbis, signis, orationibus, vel caeremoniis inanibus. 3º *Observantia eventuum*, quando quis ex casu fortuito coniectat aliquid prosperi vel adversi, et inde actiones suas moderatur, v. g. nolle mensae assidere numero tredecenario tamquam infausto. Differt haec a divinatione in eo, quod in divinatione quaeritur notitia occultorum, in vana vero observantia effectus externus. (n. 14.)

**II. Moralitas.** 1º Vana observantia per se est gravissimum peccatum, sicut divinatio. Probatur argumentis datis n. 419; per eam namque homo, relicto Deo, ad diabolum recurrit pro effectu aliquo consequendo, sicut in divinatione pro notitia. (n. 15.)

2º Divinationes et vanae observantiae sunt peccata eiusdem speciei moralis; quia earum malitia consistit in contrahenda cum daemone societate, et nihil refert utrum dirigatur ad aliquid cognoscendum an faciendum.

**III. Criteria.** 1º Vana observantia, sicut et divinatio, dignoscitur: a) ex insufficientia causae ad effectum producendum, sive virtute naturali, sive supernaturali ex Dei vel Ecclesiae institutione; b) ex adiunctione falsae vel vanae circumstantiae tamquam necessariae ad effectum consequendum; c) ex infallibili exspectatione effectus quasi ex opere operato. Cfr. 2. 2. qu. 96. a. 4. ad 1. (n. 16.)

2º In dubio utrum effectus aliquis sit a causa naturali, an vero a virtute superiori, putandum est eum provenire a causa naturali. Ratio est, tum quia delictum non est praesumendum, tum quia virtutes causarum naturalium sunt multiplices, et saepe etiam sapientibus ignotae. In tali

igitur casu licitum est medium adhibere: consultum tamen est praemittere protestationem contra quemlibet daemonis interventum. (n. 20.)

Ubi vero constat effectum superare virtutem causae naturalis, si non constet esse a Deo, potius praesumendum est esse a daemone; quia miracula non sunt praesumenda, sed probanda. — Notes tamen non repugnare aliquos homines etiamnum gaudere *gratia sanitatum* (iuxta I Cor. XII. 9.) Signa huius gratiae censentur, si ex una parte media adhibita nihil vanum vel Deo indignum contineant neque effectus infallibiliter exspectetur; ex altera parte gratia sit *personalis*, ita ut alter eam alteri tradere nequeat, neque alii, etiam adhibitis iisdem mediis, eumdem effectum obtineant: Deus enim gratiam confert personae, non signis externis, a quibus effectus solet obtineri. 2. 2. qu. 178. a. 2; Noldin n. 162. (n. 18.)

**424.** — **Resolutions.** 1º Superstitiosum est: a) Adhibere characteres vel nomina ignota, signa vana aut falsa, v. g. significando Christum habuisse febres, spasmos. Quo etiam spectant oratiunculae ineptae de, nescio, quibus itineribus factisque Christi, B. M. V., S. Petri, quas quidam super aegros vel vulnera demurmurare solent. (n. 16.)

b) Gestare amuleta, ligaturas, involucra falsis characteribus consignata, contra morbos, vulnera, vel subitam mortem etc.; vel ad eumdem finem statis quibusdam verbis uti, in quibus certam et infallibilem virtutem inesse credunt.

c) Preces alias dicere certo numero, situ, gestu, tot crucibus permixtis, ita ut in ipso numero vel simili vana circumstantia tota vis constituatur.

d) Gestare quasdam orationes S. Birgittae, recitare alias orationes, versiculos Psalmorum, Evangelium S. Joannis, applicare herbas tali festo collectas, ita ut ex illis in modum operis operati effectus infallibiliter expectetur. Secus vero, si ex pia tantum impetratione effectus a Deo sperretur. (n. 17.)

2º Superstitiosum non est: a) Observare lunam aut tempora aptiora herbis colligendis, arboribus putandis, semini spargendo, etc.

b) Gestare Reliquias, Agnos Dei, pia numismata, Scapularia, effigies, aliasque res sacras, ad honorem Dei vel Sanctorum et ad ipsorum auxilium implorandum.

c) Pia novemdalia peragere, preces recitare numero sive certo in honorem alicuius Mysterii, sive sponte electo, quin efficacia tali numero adnectatur. (n. 17.)

**425.** — **Notanda pro praxi.** 1º Ad peccatum *formale* superstitionis committendum opus est ut illi, qui vanas observantias exercent, sciant vel saltem suspicentur daemonis interventum; malitia enim huius superstitionis consistit in cultu falsi numinis seu daemoni. Multi autem sunt, qui de daemonis interventu ne cogitant quidem, sed bona fide agunt; idcirco rudes aliquando in simplicitate sua sunt reliquandi, cum difficulter abducantur ab eo, quod bona fide a suis maioribus receperunt. (Marc. n. 570).

2º Caveant parochi, concionatores et catechistae, ne fideles doceant superstitiones, quas ignorant; nam facile aliqui eas exercebunt; quare de iis tantum sermonem habeant, quae in regione notae sunt.

## § V. - MAGIA.

**426. — I. Notio et divisio.** Magia est ars operandi mira. — Duplex est: 1º *naturalis*, qua mira patruntur per vires naturae occultas, vel per hominis dexteritatem et artificium; 2º *superstitiosa* seu *diabolica*, quae proprie magia dicitur, et qua quis diaboli opera ad mira atque insolita patranda utitur. Quod si haec magia ad ostentationem aut commodum adhibeatur, vocatur

simpliciter *magia*: sin autem ad nocumentum aliis inferendum *maleficium* nominatur. Differt a vana observantia non tantum obiecto, sed etiam quantum haec ultima potius implicitam tantum, illa expressam daemonis invocationem secum ferre solet.

Qui magiam superstitionis exercent, *magi, incantatores, praestigiatores, malefici, sortiarii, sagae, strigae* vocantur.

**II. Moralitas.** Magia *naturalis* per se non est mala; est tamen res vana, imo et periculosa fieri potest, quia paulatim ad superstitionis conducere et daemon facile ei se immiscere poterit. — Magiae *superstitiosae* applicanda sunt principia tradita de divinatione et vana observantia, a quibus non differt in specie morali. Notes autem *maleficium* huic addere peccatum contra caritatem vel iustitiam, quatenus ad nocendum aliis adhibetur.

**427. — Quaestiones de remediiis ad tollenda maleficia.** QUAER. 1º *Quibus remediis uti liceat ad tollenda maleficia.*

*Resp.* Supernaturalibus et naturalibus; numquam vero superstitionis. Licet ergo: 1º uti remediis ex medicina petitis; 2º recurrere ad orationem, ad Sacraenta, ad exorcismos, aliaque sacramentalia; 3º signa destruere, quibus positis daemon nocet; vel etiam, ad hunc finem, signum positivum contrarium ponere, ex se tamen honestum. (n. 24.)

QUAER. 2º *An liceat a mago petere ut maleficium tollat.*

*Resp. Dist.* Numquam licet ab illo petere ut maleficium maleficio solvat; neque eius opera uti in dubio, num possit aut sciat modo licito illud solvere; quia tunc opus intrinsece malum peteretur.

Quando autem constat aut iuste praesumitur magum scire modum' licitum, licet petere, etiamsi ille modo illicito sit usurus; quia ex iusta causa petitur opus, quod alter licite praestare potest; si hoc non faciat, id malitia sua imputatur. (n. 25)

**428. — Notanda pro praxi.** 1º Quia divinationes, vanae observantiae ac magia sunt peccata eiusdem speciei moralis, per se sufficit si poenitentis sese accuset de superstitione in genere; per accidens vero peccatum saepe magis determinandum erit ob peccata sacrilegii, haeresis, iniustitiae, idolatriae, blasphemiae, quae pro vario modo superstitionis saepe accidunt. (n. 28.)

2º Maleficiis neque est fides a priori deneganda, neque est facile adhibenda, nisi res sedulo examinata sit et probata. Unde graviter reprehendere oportet eos, qui mala sua passim maleficio attribuunt, et saepe vetulam aliquam hac de re suspicantur, cuius famam deinde tollunt huiusmodi suspiciones evulgando. Non omittat sacerdos eorum patrocinium suscipere, qui iniuste reputantur malefici.

3º Monendi sunt magi se teneri: a) pactum expressum, aut commercium, si quod habeant cum daemone, abiurare et dissolvere; b) omnia instrumenta artis comburere; c) damna illata resarcire. Si daemon chirographum haberet, non necessario cogendus est ut reddat, quia per poenitentiam sufficienter deletum est. (n. 28.)

## APPENDIX.

### DE SPIRITISMO, MAGNETISMO ANIMALI ET HYPNOTISMO

Quia nostris temporibus frequentissime adhibetur spiritismus ad obtinendam scientiam rerum occultarum, atque magnetismus animalis et hypnotismus ad obtinendos varios effectus extraordinarios, ideo de singulis dicemus, ut exinde clarescat, utrum peccatum superstitionis aliudve peccatum involvant necne.

§ I. - SPIRITISMUS.<sup>1)</sup>

429. — I. **Notio.** Spiritismus definiri potest spirituum evocatio et consultatio, praesertim de rebus alterius vitae, ope praesertim personarum quae vocantur *media* quaeque ad finem intentum speciales proprietates habere dicuntur.

II. Phaenomena spiritistica partim conveniunt cum phaenomenis hypnotismi et magnetismi animalis, de quibus in §§ sequentibus; partim ea superant; atque ad triplicem classem revocari possunt, prout sunt aut *mere physica* (ut ictus et motus obiectorum, tabulae rotantes et sic dictae *materialisationes*) aut *physico-intellectualia* (ut tabula per varios ictus responsum praebens vel pede scribens) aut *mere intellectualia* (ut si *medium* in statu *trance* dicto colloquia cum spiritibus invisibilibus instituit.)<sup>2)</sup>

III. **Explicatio.** Explicatio *spiritistica* phaenomena illa attribuenda esse praetendit interventui animarum defunctorum, quas evocari et nobiscum communicare posse contendit. — Quoad rei veritatem, certum est plurima saltem phaenomena meritis fraudibus vel hallucinationibus tribuenda esse; nulla e contra experimenta pro interventu defunctorum adduci posse; spirituum interventio, si quae admittenda est, nequit esse nisi daemonum, ut ex dicendis infra patebit. Ceterum, utrum omnia viribus naturalibus, sive occultioribus adhuc sive aliunde notis, an vero aliqua daemonis interventu sint explicanda, disputatur. Spiritismum vero ipsum instigante daemone propagari, ex fructibus eius abunde constat.<sup>3)</sup>

430 — IV. **Moralitas.** I. *Spirituum* CONSULTATIO sive privatum fiat sive publice, in sessionibus quae spiritisticae dicuntur, *semper est graviter illicita*. Probatur ex ratione; est enim mera divinatio. Sive enim phaenomena proveniant ope spirituum, sive sine ipsorum interventu, semper adest animus eos consultandi. Iamvero spiritus quorum consultatio suscipitur, esse non possunt nisi daemones; consultatio autem daemonum nihil aliud est quam divinatio supra descripta atque in S. Scriptura prohibita. Cfr. supra n. 419. — Dictum est *non possunt esse nisi daemones*: non enim possunt esse spiritus illi angeli boni; absit enim eos producere phaenomena inania, vel doctrinas falsas, impias atque turpes proferre, ut in sessionibus spiritisticis obtinet. Neque possunt esse animae defunctorum, quibus utique, sine speciali Dei permisso, nulla est cum hominibus communicatio; quam communicationem Deum umquam ad *mediorum* evocationem permissurum, impium est admittere. Restat ergo ut, si intendatur spirituum consultatio, intendatur consultatio daemonum.

Confirmatur ex prohibitione Ecclesiae: a) S. Officium die 4 Aug. 1856 declaravit: «animos mortuorum evocare, responsa accipere... reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis»;<sup>4)</sup> — b) die 2 Aprilis 1864 eadem Congregatio omnia scripta spiritismo faventia proscriptis;<sup>5)</sup> — c) canone 1399. 7º prohibentur

<sup>1)</sup> Cfr. Angelo Zacchi. *Lo Spiritismo e la sopravvivenza dell'anima*; Luciano Roure. *Lo spiritismo davanti alla scienza e alla religione*; Bappert. *Kritik des Okkultismus*; Lépicier. O. S. M. *The unseen world*.

<sup>2)</sup> Cfr. N. K. St. 1916. p. 343.

<sup>3)</sup> Cfr. N. K. St. 1917. p. 143; Surbled. in *Ami du Clerge*. 1901. p. 470; Mercier. *Psychologie*, II<sup>7</sup>, p. 217; Schneider. *Der neuere Geisterglaube*; Gutherlet. in *Theol.-prakt. Quartalschrift*. 1915. p. 479; Gregorianum, 1925. p. 164; Raupert. *Christus und die Mächte der Finsternis*. Gatterer. *Derwissenschaftliche Okkultismus und sein Verhältnis zur Philosophie*. Feldmann. *Okkulte Philosophie*. Santilli. *Spiritismo*.

<sup>4)</sup> Acta S. Sedis. I. p. 177.

<sup>5)</sup> Cfr. Marc. n. 566; cfr. et N. K. St. 1906. p. 337, ubi plura alia documenta antiquiora.

libri qui cuiusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum, aliaque id genus docent vel commendant.

II. ASSISTENTIA SESSIONI SPIRITISTICAE quae fit *active* ipsi cooperando graviter illicita est, uti patet ex supra dictis. — Pariter omnis assistentia *animo spiritistico*, i. e. intentione consultandi spiritus, illicita est, etiamsi fiat sub protestatione contra omnem daemonis influxum et cum intentione sese dirigendi ad bonos spiritus; perinde est enim utrum quis per seipsum an per alios daemonem consulat; nec protestatio adiuncta mutat naturam actus, qui ex fine operis pactum cum daemone involvit. — Imo etiam assistentia *mere passiva* et *sine animo spiritistico* illicita est; etenim generatim peccatum scandali vel cooperationem materialem illicitam includit, quatenus, generatim saltem, nulla ratione sufficienti cohonestari potest; <sup>1)</sup> insuper gravia pericula fidei et moribus creat, praesertim ei qui frequenter assistit; et propter has rationes, quae communiter adsunt, S. Officium resp. 1. Apr. 1898 <sup>2)</sup> et 24 Apr. 1917 assistentiam, etiam mere passivam, universim omnibus prohibuit. <sup>3)</sup>

In resp. S. Off. 24 Apr. 1917, proposito dubio « an liceat per *Medium*, ut vocant, vel sine *Medio*, adhibito vel non hypnotismo, locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque adscistere, etiam speciem honestatis vel pietatis prae se ferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum aspicioendo etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle: » responsum fuit: « *Negative in omnibus.* » <sup>4)</sup>

III. *Per se non videtur illicitum aliquando gravi de causa et debitis adhibitis cautelis EXPERIMENTA QUAEDAM PERAGERE similia iis quae etiam in sessionibus spiritisticis obtinent, dummodo cum probabilitate naturaliter explicari possint.* Dicitur 1<sup>o</sup> aliquando gravi de causa, v. g. promovendae scientiae; dicitur 2<sup>o</sup> debitis adhibitis cautelis, praesertim protestatione excludendi quemvis spirituum interventum; dicitur 3<sup>o</sup> dummodo cum probabilitate naturaliter explicari possint. Eo enim in casu iuxta supradicta (n. 423. III.) praesumendum est pro causa naturali atque consequenter pro liceitate producendi effectum de quo agitur. Sic simplex rotario tabulae, imo responsio eius, uni saltem ex tangentibus nota, forte naturaliter explicari possunt. *Practice* vero fideles magnopere deterrendi sunt ab huiusmodi experimentis, quum facile viam sternant ad spiritismum aut saltem honestatem caritatemve atque sanitatem etiam corporalem laedant. <sup>5)</sup>

## § II. - MAGNETISMUS ANIMALIS.

431. — I. Notio. Magnetismus animalis definiri potest ars quaedam producendi in homine, sola attractatione aliisve mediis physicis vel psychicis, statum quemdam extraordinarium sive convulsionis, sive paralysis, sive soporis. — Exerceri potest aut tamquam medium naturale ad curandos

<sup>1)</sup> *N. K. St. I. c.*

<sup>2)</sup> *Collect. de Prop. Fide. n. 1994.*

<sup>3)</sup> Hinc saltem ex iure ecclesiastico assistentia passiva etiam ad finem scientificum prohibita est, nisi adsit licentia S. Sedis vel Ordinarii, aut (si umquam occurtere possit) necessitas urgens.

<sup>4)</sup> *Acta Ap. Sedis. 1917. p. 268.*

<sup>5)</sup> Cfr. Maro<sup>18</sup>, n. 566. III; Prümmer, II, n. 520. Simile iudicium proferendum est de sic dictis ouija-boards; cfr. *Am. Ecccl. Review.* 1918. p. 463.

morbos, aut tamquam medium ad effectus obtinendos qui vires naturales superant. In priori casu vocari potest scientificus, in altero degeneratus.

Vocatur magnetismus de quo hic agitur animalis, ut distinguatur a magnetismo minerali qui nonnullis mineralibus vel metallis inhaeret; vocatur etiam *Mesmerismus*, ab eius inventore Franc. Mesmer († 1815), qui fluidum quoddam, fluido magneticō simile, ex animalium corporibus manare aliaque corpora pervadere atque ad morbos curandos adhiberi posse putavit. Hic autem magnetismus animalis qui *scientificus* dici potest, paulatim transiit in magnetismum quemdam *degeneratum* seu somnambulismum magneticum, in quo muliercula, a magnetizatore in somnum quemdam magneticum adducta, remota videt et ignota cognoscit, ut v. g. causam morbi de quo interrogatur, et medicamentum conveniens.

**II. Moralitas.** Magnetismus animalis *scientificus* debitissimis sub conditionibus licitus est, atque ad hypnotismum licitum, de quo mox dicetur, accedit; magnetismus vero *degeneratus* valde affinis est spiritismo, atque peccato superstitionis atque pluribus aliis peccatis contra fidem et bonos mores exponit.

CONDITIONES REQUISITAE ut magnetismus licitus fiat, traduntur decreto S. Officii, quod die 28 Iulii 1847 circa praxim magnetismi statuit hanc regulam: «Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus supernaturales, ut physice explacentur, non est nisi deceptio omnino *illicita* et *haereticalis*.»<sup>1)</sup>

ILLICITAS SOMNAMBULISMUS clare etiam statuitur alio decreto S. Officii, diei 4 Aug. 1856, ubi legitur: «*Somnambulismi* et *clarae intuitionis*, uti vocant, praestigiis mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaque conspicere effutiunt ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitionis exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In his omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino *illicita* et *haereticalis* et *scandalum* contra honestatem morum.»<sup>2)</sup>

Nota tamen, quaedam facta *telepathiae* aut *clarae visionis* quae transitorie ocurrunt, in statu *hyperesthesiae* seu excessivae sensibilitatis, non omnibus videri effectus vires naturales transgredientes.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Coll. de Prop. Fide. n. 1018.

<sup>2)</sup> Coll. n. 1128. Varia alia responsa vides in Ballerini-Palmieri. Opus theol. mor. II. tr. 6. sect. 1. c. 1. Dub. 5.

<sup>3)</sup> Cfr. N. K. St. 1916. p. 346; Prümmer, II. n. 519; Göpfert. Moralltheologie. I. n. 390; Noldin. II. n. 168.

## § III. - HYPNOTISMUS.

**432. — I. Notio.** Hypnotismus definiri potest ars producendi in homine somnum quemdam artificiale, quo hypnotizatus hypnotizatori obediens redditur atque res plane singulares efficit. Est aut scientificus aut degeneratus, prout eius phaenomena aut cum probabilitate scientifice explicari possunt aut interventui daemoniaco vel fraudibus tribuenda sunt. *Scientificus* habetur quando hypnotizatus hypnotizatori obedit in iis omnibus quae ei suggestur ab hypnotizatore nec superant vires naturales; <sup>1)</sup> *degeneratus* habetur, quando per modum consultationis ab hypnotizato ea petuntur quae vires naturales certe praetergrediuntur.

**II. Moralitas.** 1º Hypnotismus *degeneratus*, sub respectu morali saltem, reduci potest ad somnambulismum magneticum ideoque eodem modo diiudicandus est. <sup>2)</sup>

2º Hypnotismus *scientificus* debitibus sub conditionibus iu praxim deduci potest. Nullam enim involvit superstitionem; probari enim deberet effectus obtentos naturaliter explicari non posse; dum e contra ex suggestione atque phantasiae ligatione satis bene explicari videntur. Neque debitibus sub conditionibus adhibitus aliud quodvis peccatum includit; suspensio enim usus rationis, quae diverso gradu obtaineri solet, atque alicui contra rectam rationem esse videatur, non est effectus ita damnosus vel homine indignus, ut debitibus sub conditionibus permitti non possit. <sup>3)</sup>

3º *Conditiones* pro licto exercitio hypnotismi scientifici sunt: a) *causa proportionata*: uti morbus secus non curabilis, <sup>4)</sup> mala propensio pathologica secus vix superabilis, progressus scientiarum; b) *consensus hypnotizandi*: secus enim ei fit iniuria, privando eum usu rationis et libertatis; c) *peritia et honestas hypnotizatoris*, ita ut pericula tam corporis quam animae praecaveantur. Si enim hypnotizator non est valde peritus in arte sua exercenda, magnum adest periculum contrahendi permanentem perturbationem systematis nervi; si non est honestus, periculum adest ne abutatur potestate sua in hypnotizatum, ita ut hic damnum honoris vel virtutis subeat; unde practice suadendum est ut hypnotizatori haud facile sine teste artem suam exercere permittatur. <sup>5)</sup> Attendendae etiam sunt leges civiles quae aliquando restringunt usum hypnotismi.

<sup>1)</sup> Cfr. Marc. n. 569; Coconnier. *L'hypnotisme franc.*; Antonelli. *Med. past.* II. c. 2; Tanquerey. *Syn. Theol. Mor.* II. n. 916.

<sup>2)</sup> Cfr. et resp. S. Off. 26 Iulii 1899. (*Collect. n.* 2061.)

<sup>3)</sup> Cfr. supra n. 259.

<sup>4)</sup> Cfr. Marc. n. 570; *Theol. Prakt. Quartalschrift.* 1917. p. 128; *N. K. St.* 1906. p. 218, 1916. p. 146; Génicot. n. 275.

<sup>5)</sup> Cfr. *The Cath. Encycl.* v. *Hypnotism*; Lapponi. *Ipnotismo e Spiritismo*; Van Velsen. *Suggestion, Hypnotisme et Psychoterapie*; Willems. *Inst. phil.* II. p. 328; Brühl. C. SS. R. *Nachdenkliches über den Hypnotismus*; Bessmer. *Okkulthus und Hypnose* apud *Stimmen der Zeit.* 1923. p. 207. Ex duabus ultimis scriptis satis liquet in arte peritos valorem scientificum hypnotismi ad usus medicos semper magis restringere, vel etiam in dubium revocare, imo negare.

*Articulus II.***Irreligiositas.**

**433.** — Est peccatum, quo Deus vel in seipso vel in rebus sacris inhonoratur. Species irreligiositatis qua Deus directe in seipso inhonoratur sunt tentatio Dei, blasphemia et perjurium; ad irreligiositatem qua Deus in rebus sacris inhonoratur pertinent sacrilegium et simonia, quae ad sacrilegium reducitur, tamquam species eius.

De blasphemia et perjurio una cum voti fractione in secundo pracepto disseretur, hic de reliquis; etenim contra primum praceptum est irreligiositas *in opere*, contra secundum vero irreligiositas *in verbo* aut contra *fidem datam*.

**§ I. - TENTATIO DEI.**

**434.** — **Notio.** Nomen temptationis in dupli sensu accipitur; eo enim significatur vel seductio ad peccatum, vel probatio seu experimentum; in hoc posteriori sensu modo accipitur. Tentatio Dei ergo est *experimentum sumere de aliqua Dei perfectione*, quando nempe homo experimentum sumit an Deus sciat quod ipse scire quaerit, vel an possit aut velit implere quod ipse cupit; propterea homo divinae perfectionis *manifestationem miraculosam* temere petit vel exspectat. — Fieri potest verbis vel factis; *verbis*, quando aliquid a Deo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem, vel voluntatem; *factis*, quando per ea, quae facit, experimentum sumit divini attributi. (n. 29 S. Thom. 2. 2. qu. 97. a. 1.)

**435.** — **Divisio.** Distinguitur: 1º una *proprie dicta*, quae oritur ex infidelitate seu dubitatione de aliquo Dei attributo: altera *minus proprie dicta*, quae ex praesumptione seu nimia confidentia oritur.

2º Utraque est vel *formalis* seu *expressa*, cum quis *intendit* experiri divinum attributum: vel *interpretativa* seu *virtualis*, cum in agendi modo latet, aliquid petendo vel faciendo, quod ad nihil aliud utile est, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem vel cognitionem. Prior committitur e. g. si quis miraculum peteret a Deo ad probandam Christi divinitatem; posterior, si quis v. g. imparatus suggestum concenderet ad concionandum, sperans fore ut cogitationes sibi suggerantur a Deo. (n. 29.)

**436.** — **Principia.** I. *Tentatio Dei FORMALIS* est peccatum mortale ex *TOTÓ genere suo*. Ratio est quia semper est gravis irreverentia contra Deum, ex dubitatione vel praesumptione directe ipsum experimentum de divino attributo intendere; id quod praecise obtinet in tentatione formalis.

II. *Tentatio Dei INTERPRETATIVA* est peccatum mortale EX GENERE TANTUM; ita ut tentatio interpretativa impropriæ dicta etiam admittat parvi-

tatem materiae. Ratio est, quia in temptatione interpretativa non intenditur ipsum experimentum de divino attributo, sed aliquid aliud, in quo includitur, nempe importuna manifestatio divini attributi; ideoque grave vel leve peccatum erit, prout maior vel minor huiusmodi manifestatio magis vel minus temere exspectatur. (n. 30. H. A. n. 38.)

III. *Tentatio Dei proprie dicta SPECIE differt a minus proprie dicta: prior enim continet haeresim; formalis et interpretativa SPECIE non differunt: quia taciti et expressi eadem est ratio* (n. 32.)

IV. *Ex iusta causa necessitatis vel utilitatis petere a Deo miraculum vel committere se divino auxilio, non est tentatio Dei, sed est actus fiduciae Deum honorans.* Constat ex eo quod in eiusmodi casibus Deus beneficia extra ordinaria subinde concedat. Cfr. 2. 2. qu. 97. a. 1 et a. 2 ad 3. (n. 31.)

437. — **Resolutiones.** 1º Tentat Deum: a) qui in morbo periculoso respuit medicinas, a solo Deo miraculose salutem sperans. Secus autem, si, remoto mortis periculo, id faciat ad se mortificandum; aut si quis in levi morbo respuat medicinam, confidens se a Deo sanitatem consecuturum generali providentia, nullo petito miraculo; quod vacat omni culpa, cum saepe in huiusmodi morbis natura ipsa salutem operetur. (n. 30. 32.)

b) Qui absolute petit a Deo vel offert miraculum ad conversionem haereticorum; cum fidei nostrae testimonia sufficient. Si vero aliquando firmissima sit spes conversionis, poterit a Deo miraculum peti sub conditione, si ei placuerit. (n. 31.)

c) Qui sine iusta causa temere se martyrio offert. Secus in casu necessitatis, nimirum si alias fides aut salus multorum periclitaretur, vel ansa daretur blasphemis, (quibus in casibus martyrium de praecerto est); item in casu utilitatis, ad exaltandam fidem, aut Dei gloriam (tunc martyrium est de consilio). Exempla Sanctorum in contrarium, extraordinariae inspirationi Dei adscribenda sunt. (n. 32.)

2º Tentatio Dei quoque sunt vulgares purgationes (ordalia) per experimentum ferri candentis, aquae ferventis, duelli, quae medio aevo usitatae erant ad innocentiam probandum per miraculosum effectum. Quod si Deus interdum per huiusmodi purgationes innocentiam aliquorum miraculo ostenderit, id accidit, vel quia Deo inspirante factae sunt, vel quia Deus voluit favere innocentibus ad eas compulsionis. (n. 30).

3º Notamus denique, peccata superstitionis diabolicae et temptationis Dei saepe circa idem obiectum versari; id ipsum enim quod unus sperat se cognitum vel obtentum iuvante daemone, alias potest *inordinate* exspectare a Deo, prout facile contingere potest in iis actibus superstitionis, in quibus preces ad Deum interveniunt; in hoc casu enim effectus plerumque exspectatur a Deo, sed mediis ineptis vel cum nimia certitudine.

## § II. - SACRILEGIUM.

### 1. *Sacrilegium generativum.*

438. — **Notio et divisio.** Sacrilegium definitur: Violatio rei sacrae, i. e. tractatio quae adversatur reverentiae rebus ad cultum Dei deputatis debitae. Triplex autem est species sacrilegii, videlicet *personale, locale et reale*: debetur enim reverentia rei sacrae ratione sanctitatis; ideo secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, sacrilegii species distingui debent; attribuitur autem sanctitas diversa ra-

tione personis sacratis, locis sacratis, et rebus quibusdam aliis sacratis. (2. 2. qu. 99. a. 1 et 3.)

Sanctitas in *personis* est formaliter et tamquam in subiecto, ideoque simpliciter, in aliis tantum secundum quid; et quidem in loco tamquam in contentivo sacerorum; in aliis rebus relative tantum, quatenus referuntur ad sanctificationem hominum. Cfr. Salm. tr. 21. c. 12. n. 16.

**439. — Principium.** *Sacrilegium est ex genere suo peccatum mortale.* Ratio est, quia res Deo dicatas violare gravem iniuriam infert Deo. — Potest tamen esse veniale ex *parvitate materiae*; verumtamen, si committatur ex formalis contemptu rei sacrae, etiamsi laesio videatur levissima, non poferit esse veniale.

**440. — Quaestiones.** QUAER. 1º *An TEMPUS possit esse obiectum sacrilegii, ut si quis peccat in die festo.*

Resp. Negat.; tempus enim non fit sacrum in se, sed dicitur tantum sacram ratione mysterii seu festi in eo celebrati. Potest tamen circumstantia temporis efficere ut sacrilegium oriatur, ob irreverentiam irrogatam *cultui divino*, ut si quis in Parasceve exhiberet comoedias, ludos publicos, etc. (n. 46. 273.)

QUAER. 2º *An enumeratae tres species sacrilegii sint subalternae, an vero INFIMAE.*

Resp. Sententia probabilior, contra alios, censet eas esse infimas; quia varii modi committendi sacrilegium, quamvis materialiter consideratae differant specie inter se, convenient tamen in eadem specie secundum formalem rationem sacrilegii, quatenus violent sanctitatem vel personae, vel loci, vel rei. Unde sufficit in Confessione explicare num sacrilegium fuerit personale, locale, aut reale.<sup>1)</sup> (n. 34.)

Peccatum porro coniunctum sacrilegio explicandum esse in Confessione, per se liquet, e. g. percussionem, concubitum.

## 2. *Sacrilegium personale.*

**441. — I. Notio personae sacrae.** Persona sacra esse potest duplii titulo: tum per deputationem publicam ad *cultum divinum*, et hoc titulo sacri sunt omnes personae ecclesiasticae, i. e. clerici omnes et religiosi, iisque quibus Ecclesia eorum privilegia communicavit (cfr. supra n. 152); tum per *votum publicum castitatis*, sive in sacra ordinatione, sive in professione tum sollemnitum simplici emissum.

**II. Modi sacrilegii personalis.** Hoc sacrilegium dupli modo committi potest: 1º per violationem *privilegiorum*, quae personis ecclesiasticis ut sic competunt, a. v. per violationem *privilegiorum canonis*, fori, immunitatis, et beneficii competentiae de quibus agitur in can. 119-123; 2º per violatio-

<sup>1)</sup> Cfr. 2. 2. qu. 99. a. 3 ad 2.

nem voti publici castitatis, a persona sacra vel in personam sacram commissam; cfr. can. 132. § 1. (n. 35.)

**Quaeritur.** *An violatio voti privati castitatis sit sacrilegium.*

*Resp.* Complures probabiliter negant; quia nemo potest suo marte se ipsum facere sacrum, sed ut aliqua res fiat sacra, requiritur peculiaris Ecclesiae dedicatio. Sententia vero communior et probabilior affirmat; quia quisquis vovet castitatem, corpus suum Deo consecrat, ut immune et purum maneat ab omni contaminatione libidinis, uti S. Thomas tradit citans S. Augustinum;<sup>1)</sup> ex qua consecratione et dedicatione peculiarem sanctitatem contrahit. Cfr. Vind. p. 3. qu. 2. (n. 47.)

Violatio vero voti de alia materia probabilius rationem sacrilegii non habet. (n. 47.)

### 3. *Sacrilegium locale.*

**442. — I. Notio loci sacri.** Loca sacra ea sunt quae divino cultui fiduciumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione quam probati liturgici libri ad hoc praescribunt. (can. 1154.)

Loca ergo sacra sunt ecclesiae et oratoria publica quoad internum ambitum eorum, coemeteria, oratoria semipublica more ecclesiarum benedicta. Non comprehenduntur itaque cellae, claustrum, sacristia, turris, tectum supra ecclesiam, atrium; nec etiam oratoria privata in domibus laicorum. Antea quidem in favorabilibus, nempe quoad immunitatem, nomine loci sacri omnia ista comprehen-debantur; at haec extensio in novo iure videtur sublata. (n. 38. 460.)

**II. Modi sacrilegii localis.** Hoc sacrilegium committitur: 1<sup>o</sup> per *violationem* (seu pollutionem, ut olim dicebatur) loci sacri, *sensu canonico sumptam*, quae scil. violatio necessitatem reconciliationis secum fert; 2<sup>o</sup> per *violationem immunitatis*; 3<sup>o</sup> per *profanationem*, ex actibus etiam in se non peccaminosis; 4<sup>o</sup> per *peccata* in loco sacro commissa, quoties ea graviter repugnant loci sanctitati; prout ex ipsa natura rei, independenter a iure canonico sequitur.<sup>2)</sup>

Dicitur sacrilegium locale committi: 1<sup>o</sup> per *violationem loci sacri sensu canonico sumptam*. Iamvero, locus sacer hoc sensu violatur tantum iis qui sequuntur actibus, dummodo certi sint, notorii et *in ipso loco sacro positi*: a) delicto homicidii, b) iniuriosa et gravi sanguinis effusione, c) impiis vel sordidis usibus, quibus addictus fuerit, d) sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Violata autem ecclesia, non ideo coemeterium; etsi contiguum, violatum censemur, et vice versa. Cfr. can. 1172. 1207; vide tom. II. n. 232.

2<sup>o</sup> Per *violationem immunitatis* loci sacri, quae committitur: a) violando *ius asyli*, quo *ecclesiae*, et probabiliter etiam oratoria publica ita gaudent ut rei qui ad illa configuerint, inde non sint extrahendi, nisi necessitas urgeat, sine as-

<sup>1)</sup> 2. 2. qu. 152. a. 1. « Sed contra est », et qu. 154. a. 1. ad 3.

<sup>2)</sup> Aliqui censebant vel etiamnum censem, modos sacrilegii localis ex sola voluntate Ecclesiae indeque ex solo iure canonico erui posse; sed omnino praeplacet doctrina in textu proposita. Cfr. Marc. n. 582.

sensu Ordinarii, vel saltem rectoris ecclesiae vel oratorii (cfr. can. 1179. 1191. § 1);  
**b)** locum sacrum infringendo, bonis suis spoliando, incendendo, furando rem ex loco sacro cuius custodiae fuerat tradita; ut ex natura rei sequitur.<sup>1)</sup> Cfr. can. 1160. (*n.* 36. 38. 39.)

**3º** Per *profanationem* loci sacri: quae patratur exercendo in ecclesia actus profanos sanctitati loci repugnantes, ut sunt strepitus iudiciorum saecularium, concilia saecularia, mercatus, negotiaciones et nundinae, quamquam ad finem pium habitae, ludi profani, seditiones, rixae et conclamationes, convivia, colloquia tempore divinorum Officiorum, deambulationes, et similia. Cfr. can. 1178. (*n.* 36. 37.)<sup>2)</sup>

Verumtamen non videtur culpa gravis aliqua moderata deambulatio in ecclesia, aut privata comedio, etiam sine necessitate, si scandalum absit et clamor. (*n.* 37.)

**4º** Per *peccata in loco sacro commissa*, *quoties ea graviter repugnant loci sanctitati*. Hoc modo sacrilegium committi potest gravi effusione sanguinis in loco sacro, etiam occulta manserit. Pari modo, quamvis humani seminis effusione graviter peccaminosa locus sacer in novo Iure canonice iam non violetur, tamen sacrilegium sensu morali constituit. Imo idem dicendum videtur de omni actu externo graviter turpi, etiam de verbis vel aspectibus graviter peccaminosis. (*n.* 458. *sequ.*) — Peccata vero interna non constituunt sacrilegium locale, exceptis tamen desideriis, sive in ecclesia sive extra illam conceptis, opus externum sacrilegum patrandi intra ecclesiam, quae scil. malitiam operis cum omnibus eius circumstantiis, ergo etiam loci, induunt. (*n.* 43.)

#### 4. *Sacrilegium reale.*

**443. — I. Notio rei sacrae.** Res sacrae sunt omnes res quae media sunt ad exercendum cultum, sive *ex natura sua*, uti Sacraenta, reliquiae, verba S. Scripturae, sive *ex dedicatione Ecclesiae*, quae sese manifestat sive speciali rei consecratione vel benedictione, uti obtinet in vasis et vestibus sacris, sive mera proprietate, uti obtinet in bonis ecclesiasticis. Cfr. 2. 2. *qu.* 99. *a.* 3. (*n.* 40.)

**II. Modi sacrilegii realis.** Sacrilegium reale committitur: **1º** Per *indignam tractationem* rerum sive natura sua sive consecratione vel benedictione sacrarum.

Evenit indigna tractatio: **a)** indigne vel irreverenter administrando aut suscipiendo Sacraenta; **b)** reliquias Sanctorum proiiciendo, imagines sacras ex contemptu frangendo eas indecor et modo lascivo pingendo et similibus; **c)** committendo simoniam, de qua in sequenti § disseremus; **d)** verba et sententias Sacrae Scripturae ad profana quaeque torquendo, ad scurrilia scilicet, vana, fabulosa, adulaciones, detractiones, superstitiones, ut loquitur Trid. (*sess. 4 in fine*); **e)** vasa sacra, ornamenta et paramenta benedicta aliasve res consecratas vel benedictas benedictione constitutiva, ad usus profanos adhibendo. Cfr. can. 1150.

<sup>1)</sup> Cfr. Wernz. *Ius Decret.* VI. *n.* 335; Ojetti. *Synopsis rerum moralium.* v. *Immunitas.*

<sup>2)</sup> Actiones scenicae piae per *cinematographa* et *projectiones* in ecclesiis exhibendas prohibitae fuere  
¶ S. C. Consist. 10 Dec. 1912.

1289. 1296. 1305. 1510. 1537. (n. 40.) Cfr. etiam *tom. II. n. 244* de non tangendis vasis et linteaminibus sacris a parte laicorum, ad normam can. 1306.

2º Per *iniustam usurpationem* rerum sacrarum quarumlibet, sive sacrae sunt natura sua vel ex speciali consecratione aut benedictione, sive ex sola destinatione Ecclesiae. Unde sacrilegium est non tantum furtum reliquiarum, vel vasorum sacrorum, verum etiam usurpatio bonorum ecclesiasticorum; non vero bonorum, de quibus clericus libere disponere possit; nec legatorum, Ecclesiae relictorum, sed quae ei nondum sint tradita. Cfr. can. 1497. (n. 40. 42. 45. 532.).

*Quaeritur quale et quantum sacrilegium sit sacrilega Communio.*

Sacrilega Communio videtur potius sacrilegium reale quam personale quum Christus Dominus recipiatur non in specie propria, sed in specie Sacramenti, neque sese in Eucharistia nobis exhibeat ad modum personae, sed ad modum cibi et potus. Neque sacrilega Communio, etsi horrenda iniuria Eucharistiae illata, inter peccata gravissimum est, ut aliquando auditur e suggestu. Graviora enim ceteris paribus sunt peccata quae virtutibus theologicis quam quae religioni opponuntur; graviora simili modo peccata quae immediate Deo vel humanitati Christi, quam quae Sacramento Corporis et Sanguinis Christi opponuntur; gravius peccatum est proiectio sacrarum specierum animalibus vel Communio non baptizati quam indigna Communio. Etiam subiective peccatum hoc saepe minus grave erit, quatenus saepe ex timore infamiae committitur.<sup>1)</sup>

##### 5. Poenae contra sacrilegos.

444. — Qui sacrilegium perpetraverit, pro gravitate culpae ab Ordinario puniatur oportet, salvis poenis iure statutis contra aliqua sacrilegia. (can. 2325.) Porro, praecipuae poenae sunt sequentes:

I. Circa sacrilegium personale triplex punitur delictum:

1º Contra violantes PRIVILEGIUM CANONIS habetur triplex excommunicatio:

a) excommunicatio latae sententiae Sedi Apostolicae *specialissimo* modo reservata, si quis violentas manus in personam *Romani Pontificis* iniecerit, et talis est ipso facto vitandus; — b) excommunicatio latae sententiae Sedi Apostolicae *speciali* modo reservata, si quis in personam S. R. E. *Cardinalis* vel *Legati Romani Pontificis* vel *Episcopi* etiam titularis tantum violentas manus iniecerit; — c) excommunicatio *Ordinario proprio* reservata, si quis in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum violentas manus iniecerit. (can. 2343.) Quoad explicationem harum censurarum cfr. *tom. II. n. 1041. 1048. 1070.*

2º Contra violantes PRIVILEGIUM FORI statuitur triplex poena latae sententiae:

a) excommunicatio latae sententiae Sedi Apostolicae *speciali* modo reservata, si quis S. R. E. *Cardinalem* vel *Legatum Sedis Apostolicae*, vel *Officialem maiorem Romanae Curiae* ob negotia ad eius munus pertinentia, vel *Ordinarium proprium*, contra praescriptum can. 120, ausus fuerit ad iudicem laicum trahere; — b) excommunicatio latae sententiae Sedi Apostolicae *simpliciter* reservata, si *alium Episcopum* etiam mere titularem aut *Abbatem* vel *Praelatum nullius*, vel aliquem ex ma-

<sup>1)</sup> Cfr. 2. 2. *qu. 99. a. 3. c. et 3. qu. 80. a. 5.* — N. K. St. 1927. p. 309.

*ioribus* religionum iuris pontificii Superioribus ita ausus fuerit trahere; — *a)* si quis, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori frumentem ad iudicem laicum trahere ausus fuerit, clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpea a proprio Ordinario puniatur. (can. 2341.) Quoad explicationem censurarum cfr. *infra n.* 1234 et *tom. II. n.* 1063.

*3º* Contra violantes CASTITATEM habetur duplex excommunicatio: *a)* excommunicatio latae sententiae Sedi Apostolicae *simpliciter* reservata contra clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales post votum *solemne* castitatis, atque omnes cum aliqua ex praedictis personis *matrimonium* etiam civiliter tantum contrahere praesumentes (can. 2388. § 1; cfr. et can. 2359.); — *b)* excommunicatio latae sententiae *Ordinario* reservata contra professos votorum *simplicium perpetuorum* tam in *Ordinibus* quam in *Congregationibus religiosis*, *matrimonium* etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, necnon contra eos qui cum ipsis contrahere praesumant. (can. 2388. § 2.) Quoad explicationem cfr. *tom. II. n.* 1069.

### II. Circa sacrilegium locale duplex punitur delictum:

*1º LOCI SACRI VIOLATORES* de quibus in can. 1172. 1207 (cfr. supra *n.* 442. *II. 1º*) interdicto ab ingressu ecclesiae aliisque congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniantur. (can. 2329.)

*2º* Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ECCLESIASTICAE SEPULTURAE infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240. § 1, contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam; sponte vero sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum. (can. 2339.) Explicationem vide in *tom. II. n.* 1074 et 1036.

### III. Circa sacrilegium reale quintuplex punitur delictum:

*1º* Qui SPECIES CONSECRATAS abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, est suspectus de haeresi; incurrit in excommunicationem latae sententiae *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatam; est ipso facto infamis, et clericus praeterea est deponendus. (can. 2320.) Cfr. *tom. II. n.* 1040.

*2º* Ad ordinem sacerdotalem non promotus, si MISSAE CELEBRATIONEM simulaverit aut SACRAMENTALEM CONFESSIONEM exceperit, excommunicationem ipso facto contrahit, *speciali modo* Sedi Apostolicae reservatam. (can. 2322. *1º*; cfr. et can. 2366 et 2367.) Cfr. *tom. II. n.* 1055.

*3º* Sacerdos qui *sine necessaria iurisdictione* praesumpserit sacramentales *confessiones audire*, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis Confessionibus (can. 2366.) Cfr. *tom. II. n.* 1086.

*4º* Qui usurpat vel detinet BONA AUT IURA ECCLESIAE ROMANAЕ, incurrit in excommunicationem latae sententiae *speciali modo* Sedi Apostolicae reservatam (can. 2345); qui ALIA BONA ECCLESIASTICA in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire ne fructus ab iis ad quos pertinet, percipientur, excommunicationi tamdiu subiaceat, donec bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit. (can. 2346.) Cfr. *tom. II. n.* 1053. 1064.

*5º* Quodsi beneplacitum apostolicum, in ALIENATIONE bonorum ecclesiasti-

corum ad normam can. 534. § 1 et can. 1532 requisitum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet excommunicatio latae sententiae *nemini* reservata. (can. 2347. 3º.) Cfr. *tom. II. n. 1078.*

### § III. - SIMONIA.

Cum simonia constituatur pacto, quo res spiritualis commutatur pro pretio temporali, trademus: 1º notionem, divisionem, moralitatem simoniae in genere; 2º quaenam sit materia circa quam versatur; 3º quaenam habeant rationem pretii, ad simoniam requisiti; 4º qualis pactio ad eam constituendam exigatur; 5º quinam sint simoniae effectus irritantes et poenales.

#### 1. *Simonia generatim.*

**445. — I. Notio.** Simonia nomen suum sortita est a Simone Mago, qui pecunia emere voluit potestatem dandi Spiritum Sactum, ut postea venderet. (*Act. Ap. VIII.*) In genere autem definiri potest: modus agendi, ob aequiparationem vel periculum seu speciem aequiparationis rei spiritualis cum temporali, iure divino vel humano prohibitus.

**II. Divisio.** Distinguitur simonia: 1º in simoniam iuris *divini* et simoniā iuris *ecclesiastici*. Simonia iuris DIVINI definitur *studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali* sive rem *intrinsece spiritualem* sive rem *temporalem rei spirituali ita adnexam*, ut aut res *temporalis sine spirituali nullo modo esse possit*, aut res *spiritualis sit obiectum*, etsi *partiale, contractus*. Cfr. can. 727. § 1.

Dicitur: 1º *studiosa voluntas*, i. e. voluntas deliberata et libera qua quis sciens et volens suo modo agendi intendit aequiparare rem spiritualem cum temporali; — 2º *voluntas*, quia voluntas est subiectum simoniae: et quia saepe ab intentione voluntatis dependet num aliqua actio sit simonia: et quia simonia sola voluntate interna sine externa eius manifestatione committi potest, ut si quis praestet aliquid spirituale, cum intentione obligandi alterum ex pacto ad praestandum temporale tamquam eius pretium, quamvis hoc nullo modo ne implicite quidem significet; — 3º *emendi vel vendendi*, ut exprimatur pactum, quod est forma eius qua perficitur; — 4º *pro pretio temporali*, quia turpitudine huius peccati in eo sita est quod spirituale aestimatur humano pretio; — 5º *sive rem intrinsece spiritualem*; porro talis potest esse aut formaliter (ut gratia) aut causaliter (ut Sacraenta) aut effective (effectus et usus potestatis spiritualis, ut consecratio, absolutio etc.); — 6º *sive rem temporalem rei spirituali ita annexam*, ut *sine spirituali nullo modo esse possit*, v. g. beneficium ecclesiasticum, *aut res spiritualis sit obiectum*, etsi *partiale, contractus*, v. g. consecratio in calicis consecrati venditione. Cfr. can. cit.; Salm. tr. 19. n. 2.

Simonia iuris ECCLESIASTICI habetur, quoties ob periculum irreverentiae erga res *spirituales* lex Ecclesiae materiam simoniae extendit ad casus per se ea non comprehensos. Unde adest, si contra talem legem Ecclesiae dantur vel res *temporales spirituali adnexae pro temporalibus spirituali adnexit*,

vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus. Cfr. can. 727. § 2. (n. 49).

2º Simonia potest esse mentalis, conventionalis, realis et confidentialis. MENTALIS habetur, quando nullum pactum intervenit. Potest distingui in pure et mixte mentalem. Pure mentalis habetur quando quis habet mere propositum committendi simoniā; est potius peccatum desiderii simoniāe quam ipsa simonia. Mixte mentalis habetur quando quis in aliqua actione externa habet quidem intentionem seu voluntatem simoniācam obligandi alterum ex pacto, sed deest omne pactum externum, etiam tacitum. In eo casu adest peccatum simoniāe, non vero delictum. — CONVENTIONALIS habetur, quando intentioni simoniācae accedit conventio seu pactum, sive expressum sive tacitum; et dicitur pure conventionalis, si ex neutra parte exsecutioni fuerit datum; si ab alterutra parte saltem partialiter exsecutioni fuerit datum, dicitur conventionalis mixta vel semirealis. — REALIS habetur quando conventio ab utraque parte saltem inchoative impleta est. — CONFIDENTIALIS est quaedam simonia circa beneficia ecclesiastica, qua quis beneficium alicui procurat sub certa confidentia, i. e. cum pacto ut is postea illud ipsimet procuranti vel alteri resignet (simonia per accessum, regressum vel ingressum, ut fusius exponunt canonistae) aut illius fructus aut pensionem ex eo iisdem persolvat. Cfr. can. 1488. (n. 49.).

**III. Moralitas.** I. *Simonia iuris DIVINI est gravissimum sacrilegium, mortale ex genere suo toto.* Patet ex verbis S. Petri ad Simonem Magum: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. » (Act. VIII. 20.) Ratio est, quia res spirituales, quantumvis parvae videantur, temporali pretio aequiparare, est maximopere illas vilipendere, ac consequenter gravi iniuria afficere. Adde quod vendens spirituale vendit rem non suam quum etiam Praelati Ecclesiae, non sunt domini sed dispensatores tantum rerum spiritualium; insuper venditio repugnat spiritualium origini quae ex gratuita Dei voluntate proveniunt.<sup>1)</sup> Demum gravitas huius peccati vel magis patet ex eo quod est peccatum perniciosissimum Ecclesiae; huius namque causa indigni eliguntur ministri, sanctum datur canibus, et res Ecclesiae vilescent; quamobrem nullum crimen in Iure Canonico acerbius exsecuratur.

II. *Simonia iuris ECCLESIASTICI admittit levitatem materiae:* quia, quando actus ex natura rei non est simonia, sed prohibetur tantum ad cavendum speciem et periculum eius, reipsa non fit rei spirituali iniuria, sed peccatur contra praeceptum Ecclesiae, in quo potest utique dari parvitas materiae. (n. 50.)

## 2. *Materia simoniāe.*

446. — **Praenotanda.** Res in se *temporalis* potest trifariam *adnexa* esse *spirituali*: 1º *antecedenter*, quando res *temporalis* antecedit *spiritualem*; tales sunt res consecratae et benedictae, arculae Reliquiarum; 2º *consequenter*, quando praesupponit velut causam rem *spiritualem* cui adnectitur, ita ut res *temporalis* sine *spirituali* nullo modo esse possit; ut beneficium, quod datur propter officium; 3º *concomitanter*, quando *spirituali* simul coniungitur; e. g. labor corporis in functione sacra exercenda. Labor porro iste vel est operi *spirituali* *intrinsecus*, quando per se necessarie illi adnexus est; sic labor necessarius

<sup>1)</sup> Cfr. 2. 2. *qu.* 100. *a.* 1.

in celebratione Missae, pro concione, etc.; vel *extrinsecus*, cum per accidens propter circumstantias illi adiunctus est, v. g. celebrare Missam in cantu, in dissito loco, tarda hora, statuto tempore vel loco. (n. 49. 55. 64. 65.)

**Materia simoniae iuris divini. I.** *Simonia iuris DIVINI est emere vel vendere pretio temporali, non tantum intrinsece spirituale, verum etiam tempore, quod vel CONSEQUENTER vel CONCOMITANTER INTRINSECE adnexum est spirituali.* Ratio est quia temporale, consequenter adnexum spirituali, dependet a spirituali et sine eo nullo modo esse potest, et ideo, si vendatur, necessario venditur illud spirituale quod praesupponit; tempore vero, concomitanter intrinsece adnexum spirituali, est vere spirituale, tamquam intrinseca pars functionis spiritualis. Confirmatur can. 727. § 1. (n. 72. 55.)

**II.** *Simonia iuris divini non est emere vel vendere tum ANTECEDENTER adnexum spirituali, dummodo propter rem spiritualem adnexam pretium non augeatur; tum laborem CONCOMITANTEM EXTRINSECUM ministerio sacro.* Ratio prioris est, quia *praecedit* rem spiritualem, et ideo, prout materiale est, vendi potest, pretio scilicet in solam materiam constituto; ratio exceptionis est, quia tunc res spiritualis est obiectum partiale contractus. (Cfr. can. 1539.) Ratio posterioris, quia est aliquid mere temporale, pretio aestimabile. Cfr. can. 730. 1539. § 1. (n. 72. 55.)

**Materia simoniae iuris ecclesiastici.** *Iure ECCLESIASTICO nonnulla pacta et exactiones prohibita sunt, ob periculum vel speciem simoniae.* Ita canone 1441 explicite tamquam simoniace reprobantur deductiones ex fructibus, compensationes ac solutiones a clero in actu provisionis beneficii facienda, quae collatori, patrono aliisve cedant; etsi talis cessio per se sine animo simoniaco fieri possit.<sup>1)</sup>

Huc quoque spectant aliquot alii canones, quamvis periculi simoniae expressam mentionem haud faciant. Ita 1º circa BENEFICIA: tum *dimissio* beneficii in commodum aliorum vel sub conditione quae eius provisionem vel redditum erosionem attingat, tum *permutatio* beneficiorum, certis tantum sub conditionibus permittuntur (can. 1486. 1487. 1488. § 2.); neque si beneficia permutanda inaequalia sint, possunt *compensari* reservatione fructuum aut praestatione pecuniae seu cuiusque rei pretio aestimabilis. (can. 1488. § 1.) Cfr. etiam can. 1927 de transactione in re beneficiali.

2º Circa STIPENDIA MISSARUM: plures modi agendi illiciti declarantur in can. 825. 827. 828. 829. 840. 918. 1506, quos canones postea tractabimus (in tom. II. n. 202. sequ.)

3º Circa EMOLUMENTA TEMPORALIA: statuitur ea aut omnino exigi non posse aut taxam statutam vel consuetam non esse transgrediendam: in ministerio parochiali (can. 463.); in dandis litteris testimonialibus pro ingressu Novitiatus (can. 545. § 1.); in recipiendis sodalibus associationis piae (can. 695.); in aggregandis confraternitatibus Archiconfraternitati (can. 723.); in ministrandis Sacra-

<sup>1)</sup> Circa hunc canonem et can. 1355 et 1356 *Comm. Cod. Interpr.* respondit recurrentum esse in singulis casibus ad S. Congr. competentes, si Episcopus in collatione paroeciarum non reservatarum imponere velit pro una vice tantum moderatam taxam favore Seminarii, etiam si paroecia de qua obnoxia sit tributo, huic Instituto solvendo. (16 Oct. 1919. A. A. S. p. 476 ad 16.)

mentis (can. 736.); pro concessione iurisdictionis sacramentalis (can. 879. § 2.), in concedendis dispensationibus matrimonialibus (can. 1056.); pro ingredienda ecclesia ad assistendum sacris ritibus (can. 1181.); occasione funeralium (can. 1235.); pro usu utensilium etc. in celebratione Missarum (can. 1303); pro exploratione voluntatis de qua in can. 552<sup>1)</sup>; pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae (can. 1507.) Cfr. etiam can. 1261, de officio Ordinarii hac in re.

4º Circa VENDITIONEM RERUM SACRARUM. Ita sacra *supellea* benedicta aut consecrata benedictionem aut consecrationem amittit, si publicae venditioni exposita fuerit. (can. 1305. § 1. 2º.) — Indulgentiae *coronis* aliis rebus adnexae cessant, cum coronae aliaeve res vendantur. (can. 924. § 2.) Imo sunt qui dicant ipsam venditionem esse simpliciter prohibitam ideoque involvere peccatum simoniae iuris ecclesiastici, etiamsi pretium non augeatur ob benedictionem annexam; verum id ex praesenti canone non liquet.<sup>2)</sup> — Cfr. etiam can. 1927 de invaliditate *transactionis* quoad res spirituales, quotiescumque interveniat solutio rei temporalis. — Demum uti iam dictum est supra n. 413. 3º: « *sacras reliquias* vendere nefas est, » uti statuit can. 1289; imo est simonia iuris divini, si pretium non pro thecis, sed pro ipsis reliquiis *qua sacris* solvatur. Imo, si theca vendatur qua talis, prius separentur reliquiae. Cfr. Cocchi. *i. h. c.*, Vermeersch. *Ep. I. C. II. n. 615.* — Cfr. etiam infra n. 1075 de evitanda vel *minima* suspicione connexionis inter gratiam obtentam et eleemosynam oblatam.

447. — Quaestiones circa materiam simoniae iuris divini. QUAER. 1º *An liceat vendere IUS SEPULTURÆ in honoratori loco*

*Resp. Affirm.*: quia venditur honor quidam humanus, qui non est res spiritualis. Attamen, sepulcra huiusmodi particularia non possunt *alienari* nisi de consensu Ordinarii, ubi agitur de coemeteriis paroecialibus, vel de consensu Superioris, ubi agitur de coemeterio proprio alius personae moralis. Cfr. can. 1209. (n. 71.)

QUAER. 2º *Quomodo ob INGRESSUM RELIGIONIS committatur simonia.*

*Resp. Dist.* Certo simonia est dare aut recipere aliquid tamquam *pretium admissionis*.

Simonia non est: *a)* dare aut recipere aliquid titulo *spontaneae eleemosynae*, ut liquet; *b)* aliquid titulo *sustentationis* exigere, si monasterium est egens, ita ut aliter non posset personam commode sustentare; *c)* titulo *dotis* in monasteriis *Monialium*, etiamsi opulenta sint; id indulsit Ecclesia, quia monasteria Monialium facilius sunt variis infortuniis obnoxia. Cavendum tamen est, ne propter pinguem dotem inhabilis puella admittatur; quod a simoniaca labe per se immune non foret. (can. 547. sequ.)

Quaestio autem magna est num monasterium *virorum*, si *opulentum* est, possit pro sustentatione personae aliquid exigere. Plures affirman; quia non venditur professio religiosa, sed sustentatio, quae est res temporalis. At sententia, cui adhaeret S. Alf. cum D. Thoma 2. 2. *qu. 100. a. 3. ad 4* aliisque multis, negat; quia ius ad sustentationem est *consequenter* adnexum statui religioso, sicut ius

<sup>1)</sup> S. C. de Relig. 20 Martii 1922 respondit non posse sustineri consuetudinem aliquius dioecesis exigendi taxam pro exploratione voluntatis admittendarum ad habitum et professionem in religionibus mulierum. Cfr. *A. A. S.* 1922, p. 352.

<sup>2)</sup> Ita potius cum Vermeersch. II. n. 277; contra Génicot. I. n. 289. II. n. 408; Tanquerey. I. n. 660. II. n. 946; Fanfani. *de Indulg.* n. 48, Cfr. etiam N. K. St. 1918. p. 176.

ad redditus beneficio; esset ergo simonia de iure divino. Secus autem est, si monasterium *inops* est; quando enim ipsum non habet bona ad aliorum sustentationem sufficientia, nihil vendit, cum recipiendus nequeat ius acquirere ad bona, quae monasterium non habet. — Secus etiam est, si pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione aliquid in postulatu vel novitiatu ineundo solvendum caveatur pro impensis postulatus vel novitiatus. Cfr. can. 570. § 1. (*n.* 91. 92. H. A. *n.* 43.)

*QUAER. 3º An INSTRUCTIO aliorum in doctrina sacra sit materia simoniae.*

*Resp. Dis. Affirm.*, si per se tendit ad *salutem spiritualem* auditorum; quia est res mere spiritualis. Hinc simonia est aliquid pro concione accipere, tamquam pretium laboris illius intrinseci, puta pro studio, defatigatione; secus vero, si ut stipendum sustentationis accipiatur.

*Negat.*, si immediate tendit ad *instructionem intellectus*: quia scientia est bonum naturale, pretio aestimabile. Hinc licet aliquid accipere pro doctrina Theologiae, pro licentia docendi, seu pro collatione Doctoratus; pro consilio *doctrinali*, etiam in re morali, et quamvis conducat ad pacem conscientiae: hoc enim est per accidentem; secus autem, si consilium est *spirituale*, bonum spirituale proxime spectans. (*n.* 94.)

### 3. *Premium simoniae.*

**448.** — *Notio et divisio.* Ea, quae rationem pretii habent in simonia, trifariam distinguuntur, nimirum: 1º *munus a manu*, sub quo comprehenditur pecunia, et quodvis bonum externum, cuius premium potest pecunia aestimari; 2º *munus a lingua*, quod complectitur quodvis patrocinium, sive commendationem, ac preces; 3º *munus ab obsequio*, per quod intelliguntur servitia temporalia, uti famulatus, negotii gestio, rerum administratio, etc. Haec omnia inter homines pecunia comparari solent. Cfr. c. *Sunt nonnulli. 114 caus. 1. qu. 1.* (*n.* 56. 61. 63.)

**449.** — *Principia. I.* *Simonia constituit, non solum dare spirituale pro munere a manu, sed etiam pro munere a lingua et pro munere ab obsequio.* Ratio est quia non solum munus a manu, verum etiam munus a lingua et munus ab obsequio sunt pecuniae pretio aestimabilia, ideoque qui dat pro iis aliquid spirituale, spirituale istud temporali aequiparat. Cfr. 2. 2. *qu. 100. a. 5.*

Hinc simonia est: a) dare rem *spiritualem* cum pacto ut alter remittat debitum vel ut solvat pecuniam alias debitam, vel ut praestetur mutuum in futuro, vel ut quis sese liberet a vexatione *iniusta*; b) si episcopus det alicui beneficium, ut illum laudet, ei faveat, etc.; c) si conferat episcopus beneficium famulo ut gratis inserviat vel ut compensetur ei famulatus praestitus; vel si famulus inserviat, ut loco salarii beneficium consequatur. Cfr. etiam prop. *damn. ab Innocentio XI. 45 et 46.* (*n.* 52. 54. 56. 61. 63.)

**450.** — *II. Simonia non est, OCCASIONE functionis vel praestationis spiritualis aliquid temporale dare vel accipere titulo rei spirituali EXTRINSECO.* Ratio generalis est, quia in hisce casibus temporale non est premium rei

spiritualis, quum eius datio vel acceptatio *titulo rei spiritualis extrinseco innitatur.*

In specie simonia non est: 1º temporale dare vel accipere titulo SUSTENTATIONIS PERSONAE seu STIPENDII secundum taxam lege vel legitima consuetudine probatam. Ratio est, quia non datur in commutationem rei, sed in sustentationem personae, tamquam stipendum ex iustitia debitum operario. Hoc certum est ex verbis Christi apud Lucam x. 7: «Dignus est operarius mercede sua;» et Apostoli in I Cor. ix. 13. 14: «Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.» Et ratio ipsa postulat ut qui in alterius utilitatem occupatur et laborat, ab eo sustentetur. Cfr. S. Thom. loc. cit. a. 2 et 3. Confirmatur canone 730. (n. 55.)

2º dare temporale titulo REDEMPTIONIS VEXATIONIS INIQUAE, idque non tantum quando vexatio fit circa rem certo iure iam *quaesitam*, verum etiam quando fit circa rem iuste *acquirendam*, et vexatio redimitur ab iis adversariis tantum, qui obesse, non autem prodesse possunt; vel etiam, ut satis probabile est, qui prodesse quidem possunt, sed impedimentum apponunt distinctum a negatione actionis qua prodesse valent. Perinde est sive vexatio est contra iustitiam, propter alterius *ius ad rem*, sive contra caritatem tantum, puta ex odio, vel ex propensione ad alium. — Ratio autem cur desit simonia est, quia talis vexatio est res temporalis, quae alia re temporali redimitur. Cfr. S. Thom. a. 2. ad 5; Marc. n. 588. 4º. (n. 98-103. H. A. n. 49.)

Hinc: a) Antequam alicui per institutionem vel collectionem *quaesitum* sit ius certum in Beneficio vel Dignitate ecclesiastica, *simoniacum esset* eorum adversantium obstacula pecunia redimere, qui non tantum obesse, sed et prodesse possunt et eatenus praecise obsunt quatenus non prosunt, negando v. g. suffragium; tunc enim quis per pecuniam impedimentum amovere non potest quin eo ipso emat suffragium; non ita vero si quis per pecuniam sese liberaret tantum a calumniis electoris apud alios electores. — Sed postquam ius alicui iam acquisitum est, licet semper per pecuniam iniusta impedimenta removere; v. g. parochus canonice provisus, sed a magistratu civili repudiatus, potest pecunia se ab iniusta vexatione liberare. Ita S. Thomas loc. cit. a. 2. ad 5. (n. 98-100.)

b) Ob eamdem rationem, si cui gravis causa esset suscipiendi Sacramentum, et deesset aliis sacerdos idoneus, liceret pecuniam dare sacerdoti nolenti sine illa administrare Sacramentum; non enim datur pecunia ut premium Sacramenti ad quod scil. iam ius habetur, sed ad redendum iniustum renutum, vel etiam intenditur mera donatio et permittitur ex iusta causa peccatum alterius. Ita communiter, contra S. Thomam l. c. ad. 1. (n. 103. qu. 5.)

**451. — Quaestiones. QUAER.** 1º *An liceat sacerdoti aliunde DIVITI recipere stipendum sustentationis.*

*Resp. Affirm.: quia nemo tenetur in aliorum gratiam gratis laborare, ut inquit Apostolus I Cor. ix. 7. 11: «Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat*

vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?... Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? » Confirmatur can. 1473. (n. 55.)

QUAER. 2º *An liceat stipendium EXIGERE, vel de illo PACISCI.*

*Resp. Affirm.;* dummodo non excedatur taxa consuetudine aut lege praefixa; quia non est pretium. (n. 55.) Si vero exigitur stipendium ultra taxam, vel in casu in quo ab Ecclesia non permittitur, simonia habetur, si non semper simpliciter ex aequiparatione spiritualis cum temporali, attamen secundum quid, ex duabus aliis malitiis simoniae propriis, ex violatione Dei dominii et gratuitatis spiritualium. Cfr. supra n. 445. III. Vermeersch. *Mor.* II. n. 280.

QUAER. 3º *An sit simonia, functiones sacras principaliter PROPTER STIPENDIUM obire.*

*Resp. Negat.;* quia stipendium non habet rationem pretii; non magis ergo hoc est simoniacum, quam dare stipendium principaliter propter Missam. Ceterum non facile excusari potest a culpa veniali; cum quaedam inordinatio sit spiritualia ad temporalia dirigere; at non vice versa. (n. 55. qu. 6.)

QUAER. 4º *An sit simonia, temporale dare aut promittere alteri, si faciat bonum aut si a peccato abstineat in gratiam tantum sui ipsius.*

*Resp. Negat.;* quia est liberalis donatio, quamvis sub conditione, ut alter alliciatur ad bonum aut retrahatur a malo. Unde licet dotem promittere puellae, si monasterium ingrediatur, munera adolescenti, si Sacraenta frequentet. Licitum est allicere aliquem beneficiis temporalibus ut statum religiosum ingrediatur.<sup>1)</sup> Secus foret, si contractus onerosus, alterum obligans, iniretur. (n. 59.)

QUAER. 5º *An simoniam committat sacerdos, qui ludens cum laico Missam spondet si perdat, dum socius pecuniam exponit.*

*Resp. Negat.;* quia fit mera commutatio debiti in stipendium Missae. Vix tamen caret aliquo scandalo.

QUAER. 6º *Quid sentiendum de usu Curiae Romanae postulandi pecuniam in dispensationum concessione.*

*Resp. 1º* Hic usus immunis est ab omni labore simoniae; non enim petitur pecunia per modum pretii pro ipsa dispensatione in lege, sed vel per modum mulctae seu compensationis pro vulnere legi per dispensationem inficto (ut in dispensationibus matrimonialibus)<sup>2)</sup>, vel per modum commutationis dispensationi annexae in eleemosynam ad causam piam (ut in votis), vel etiam in poenam alicuius delicti. (n. 96.)

2º Merito SS. Pontifices talem usum in nonnullis dispensationibus introduxerunt; ut ex una parte habeant ex quibus sustentent onera Pontificatus, in specie stipendia officialium Curiae, ex altera parte dispensationes, utpote odiosas, difficiliores reddant.

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. 2. 2. qu. 100. a. 3. ad 4; *Quodlib.* IV. a. 23.

<sup>2)</sup> Cfr. *tom.* II. n. 800. III, ubi plura.

4. *Pactum simoniae.*

452. — **Notio.** Pactum simoniacum intelligitur *quivis contractus onerosus*, etiam ad effectum non deductus, quo res spiritualis pro temporali commutatur aut viceversa. Pactum autem istud potest esse vel *expressum*, quando claris verbis aut signis exprimitur, vel *tacitum*, quando ex facto ipso nascitur, dum nempe unus de altero intelligit temporale dari sub obligatione recipiendi spirituale, in debitam compensationem eius, aut e converso.

Consonat ius canonicum, quatenus in can. 728 statuitur: « Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio, etc., late accipienda sunt pro *qualibet conventione*, licet ad effectum non deducta, etiam tacita, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur. »

453. — **Principia. I.** *Simoniam veram constituit, non solum pactum exterrnum, sed etiam datio aut acceptio temporalis EX INTENTIONE OBLIGANDI alterum ad retribuendum spirituale, vel vice versa.* Ratio est, quia obiectum intentionis est commutatio rei spiritualis pro pretio temporali, in qua consistit pravitas simoniae; pactum ergo simoniacum est animo conceptum et intentum. (n. 67.)

*II. Simonia non est occasione functionis vel praestationis spiritualis titulo DONATIONIS GRATUITAE aliquid temporale dare vel accipere, vel vice versa.* Ratio est quia nullum intercedit pactum; gratuitum donum enim non est pretium. Cavendum tamen est periculum, si detur temporale ante spirituale.

Nec proinde est simonia dare temporale SUB SPE GRATITUDINIS per donum spirituale exhibendae, aut contra. Ratio est, quia obligatio gratitudinis intrinsece sequitur ex beneficio; dator ergo non intendit novam obligationem imponere, sed dat gratis. Advertendum tamen est, in huiusmodi datione solo intuitu rei spiritualis, vel contra, praeciso alio titulo externo, facile praesumi intentionem saltem virtualiter simoniacam, scil. commutandi temporale cum spirituali; nisi oppositum constet vel colligatur ex circumstantiis, puta ex parvitate muneris, ex pietate vel opulentia dantis. (n. 51. 85. H. A. n. 44.)

Hinc simoniacum non est: *a) gratis alicui spirituale tribuere ex gratitudine, ex amicitia, ob consanguinitatem; nulla enim intervenit commutatio. b) Dare pecuniam pauperi, ut certas fundat preces; quia datur velut eleemosyna ad alliciendum illum ex gratitudine.* (n. 52. 55. *in fine.* 66; S. Thom. l. c. a. 3. *ad 2.*)

454. — **Quaestiones.** QUAER. 1º *An sit simonia generatim exprimere donatario spem gratitudinis.*

*Resp.* Per se loquendo, *negative*; quia licet ab alio petere, quod ille ex naturali obligatione praestare tenetur. In praxi tamen cavendum est, ob periculum et speciem simoniae, aut saltem scandali, maxime si quid ipso tempore detur quo de Beneficio conferendo agitur. (n. 51.)

QUAER. 2º *An sit simonia, obligationem antidoralem, i. e. gratitudinis, in pactum deducere.*

*Resp.* Omnino affirmandum; quia pactum novam obligationem ultra naturalem adiicit; quodcumque autem pactum, quomodolibet onerosum, est simoniacum, etiamsi non obliget stricte ex iustitia. (n. 53.)

QUAER. 3º *An sit simonia dare spirituale principaliter ob temporale, vel contra.*

*Resp. Dist. Negat.*, si datur ex iusto titulo, puta stipendii, ex quo munera sunt debita, ut dictum est supra n. 451. qu. 3.

*Affirm.*, si datur eo consilio immediato ut alterum adigit ad retribuendum temporale, aut vice versa, quatenus, cum non intercedat aliis titulus, practice faciliter motivum virtualiter convertitur in pretium, et consurgit pactum implicitum. Patet insuper ex damn. ab Innoc. XI prop. 45 et 46. (n. 54.)

### 5. Effectus irritantes et poenales simoniae.

455. — I. Effectus irritantes. 1º *Contractus*, et si simonia committatur circa beneficia, officia, dignitates, subsequens *provisio*, omni vi caret, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi aut eo contradicente. Quare: a) ante quamlibet iudicis sententiam res simoniace data et accepta, si restitutionis sit capax nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet, et beneficium, officium, dignitas dimitti; b) simoniace provisoris non facit fructus suos; quod si eos bona fide percepit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus ex toto vel ex parte eidem condonare. (can. 729.) — Etiam *renuntiatio* officii simoniace facta, irrita est ipso iure. (can. 185.) — Demum, collatio beneficiorum, quae invalide od simoniae vitium collata fuerint, *reservatur Sedi Apostolicae*, quamquam vacanti. (can. 1435, § 1. 3º.)

Nota tamen electionem simoniacam R. Pontificis valere; ut praetextus amputetur impugnandi eius valorem. Const. Pii XII. *Vacantis Sedis Apostolicae*, n. 92. (A. A. S. 1946 p. 94 n. 92).

2º Beneficium simoniace collatum nequaquam, sicut cetera beneficia titulo invalido bona fide possessa, *praescriptione* per possessionem triennalem pacificam obtineri potest. (can. 1446.)

3º *Praesentatio*, labo simoniaca infecta, est ipso iure irrita, et etiam institutionem forte subsecutam irritam reddit. (can. 1465. § 2.)

4º Si patronus *ius patronatus* simoniace in alium transferre attentaverit, ius patronatus exstinguitur. (can. 1470. § 1. 6º.)

II. Effectus mere poenales. 1º Qui deliquerint contra *praescriptum* can. 827. 828. 840. § 1 (*de stipendiis Missarum*), ab Ordinario pro gravitate culpae puniantur, non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel si de laicis agatur, excommunicatione. (can. 2324.)

2º Quaestum facientes *ex indulgentiis* plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata. (can. 2327.)

3º Delictum perpetrantes simoniae *in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis*: 1º incurront in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; 2º ipso facto privati in perpetuum manent

iure eligendi, praesentandi, nominandi si quod habeant; 3º si clerici sint, praeterea suspendantur. (can. 2392.)

Delictum simoniae quod hic intenditur, habetur non tantum in simonia reali, verum etiam in simonia conventionali, sive expressa, sive tacita, et in simonia confidentiali. Liquet e can. 728 supra (n. 452) exscripta et ex dictis n. 445. II. 2º. Ita merito v. g. Chelodi. *Ius poenale.* n. 93 et 114; Eichmann. *Strafrecht des Codex I. C.* § 100; contra alios, iuri antiquo stantes.

4º *Taxas* consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507, augentes aut ultra eas aliquid exigentes, gravi mulcta pecuniaria coérceantur, et recidivi ab officio suspendantur vel removeantur pro culpae gravitate, praeter obligationem restituendi quod iniuste perceperint. (can. 2408.)

5º Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad *Ordines* scienter promoverint vel promoti fuerint aut *alia Sacra menta* ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurront Sedi Apostolicae reservatam. (can. 2371.)

Notandum denique *actionem* criminalem contra simoniam solummodo post *decennium* auferri. Cfr. can. 1703. 3º.

